



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. LXXVII. Miraculorum B. Turibii post Indultam à Sede Apostolica  
Eidem Venerationem, de quibus Judicium suum Author exponit in Ordine,  
& ad Effectum decernendæ Canonizationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

ad probationem Voluntatis Defuncti, sic disponentis, requisita. istis caret quoad Præcipuum, Liberis primi Matrimonii relicto, instructa autem iisdem quoad Pia Legata erit, si præter illum, qui Dispositionem hanc secundam scripsit, adsit alius adhuc testis. Igitur, si duo tales testes deponant, sic revera voluisse Julianum, Dispositio hæc quoad Legata Pia etiam in foro externo sustinebitur, cadet autem quoad præfatum Præcipuum, quantum illud excedit quantitatem in prima Dispositione determinatam. Sive autem subsistat in Jure hæc Dispositio, sive non subsistat,

39.

2. Nihilominus tamen manutenenda est prima Dispositio; nam, si non subsistit dicta posterior Dispositio, subsistet prior saltem quoad Legata Pia, cum habeatur manus propria ipsius Testatoris, atque pro tali agnita. Si verò subsistat illa posterior, hæc cum prima combinari, & per illam additio potius, quam correctio primi Testamenti facta censei debet: proinde quoad ea, in quibus sufficienter constat de Voluntate Defuncti, utrumque executioni mandandum est, salva tamen Legitima Liberis debita, & Juribus muliebribus, Mæviæ competentibus.

40.

3. Mævia deducere potest ex Legatis, quæ jam solvit iis, quibus illa à Marito Juliano destinabantur, ita, ut tantum supplere debeat, quæ de quantitate destinata nondum

soluta sunt. Ratione Misarum, quas singulis Sabbatis per quatuor annos pro anima Mariti dici curavit, ex Legatis nondum solutis nihil potest detrahere, nisi summum ex Legato, PP. Capuccinis facto, & tum solum, quando per hos itas dici fecit; nam Legatum hoc ad hunc finem destinatum à Testatore fuit. Proinde

4. Legata reliqua nondum soluta præstari integrè à Mævia debent, quippe cum Executores Testamentorum, aut Hæredes, si his injuncta sit Executio, mutare Voluntas Ultimas defunctorum, & ab his relicta in alios usus solo suo arbitrio convertere nequeant, sed ad hoc opus sit autoritate Ordinarij etiam in casu, quo usus, ad quem relicta destinabantur à Testatore, cessavit.

5. Cum Legata Pia, à Juliano relicta, potissimum consistant in Literis Censualibus, eadem Mævia, non obstante suâ ignorantia de prima Mariti Dispositione, & orta inde ipsius Bona Fide, Censu, ex his Capitalibus perceptos, in quantum illa, & Cohæredes locupletiores effecti sunt, à die mortis Legatariis restituere debet; nam Legati dominium statim à morte Legantis acquiritur Legatariis, etiam ignorantibus, consequenter etiam fructus ejusdem. Quæ omnia ex hæcenus dictis patent. Et hoc est, quod Juri, & æquitati consentaneum esse judico, salvo meliore &c.

41.

42.

## CONSILIUM LXXVII.

### In Causa Canonizationis Beati Turibii

#### Alphonfi Mogrobefii, Archi-Episcopi Limani,

#### SUPER DUBIO

An & de quibus Miraculis constet post Indultam à Sede Apostolica eidem Beato Venerationem?

#### SUMMARIUM.

1. seqq. Miracula quadam B. Turibii examinantur Autoritate Ordinaria:
7. seqq. Contra quos Processus varia opponuntur.
12. 13. Causa Canonizationis, & Beatificationis consideranda sunt tanquam diversa Instantia.
14. Si Judex Superior manum apposuit, potest nihilominus inferior Judex testes recipere, si periculum sit in mora.
15. Potest Judex inferior, si urgeat necessitas, pravenire Commissionem Superioris, cum protestatione &c.
16. Ob periculum mortis Testium jam sapius admissi sunt Processus Ordinariorum.
17. seqq. Nullitas Examini Testium facile sanatur.
20. 21. Testes examinati coram Judice incompetente probant coram competente.
22. seqq. Respondetur ad oppositas rationes dubitandi.
27. seqq. Miraculum I. Repentina Sanationis Maniaci.
31. 37. Per signatam Commissionem Introductionis Causa Papa apponit manum in Causa Beatificationis: finitur tamen Instantia per Decretum Beatificationis.
32. 38. Depositio Amentis sanati non est omnino spernenda.
33. 39. Testes variare non censentur, si in Exami-

- Examine secundo solenni plus exponunt, quam in precedenti minus solenni.*
34. seq. 40. seq. Conciliantur dicta Testium.
36. 42. Varia circa Testes de Miraculis requisita.
43. Resolvitur, sufficientem esse probationem hujus Miraculi.
44. seqq. Defenditur Instantaneam fuisse hanc Sanationem:
50. seqq. Et miraculosam.
65. seqq. Censura de sufficientia hujus Miraculi.
71. seq. Miraculum II. Liberationis à suffocatione ob anxia Cochleæ deglutitionem.
73. seqq. Referuntur, & Refelluntur Argumenta contra hoc Miraculum opposita.
87. seqq. Argumenta pro Miraculo.
90. Censura de insufficientia Miraculi.
91. Miraculum III. Sabita Sanationis morbi in oculis.
92. seqq. Dissolvuntur Argumenta contra Miraculum objecta.
102. Argumenta pro Miraculo.
103. seqq. Panniculus, & Suffusio in oculis est difficilis Curationis.
107. seqq. Censura de insufficientia Miraculi.
113. seq. Miraculum IV. Repentina Sanationis geminorum Fratrum à maligna Febri.
115. seqq. Argumenta contra Miraculum, eorumque solutio.
125. Dies Critica per se non repellit morbum.
126. Præservatio à mortis periculo potest esse miraculosa, licet non cesset Infirmitas.
127. seqq. Afferuntur Argumenta pro Miraculo.
132. Censura de insufficientia Miraculi.
133. seq. Miraculum V. Sanationis Hamorrhagia.
135. seqq. Argumenta contra Miraculum.
142. Ad probandam miraculosam Sanationem sufficit unam Extremum probari per duos Testes de visu, & alterum Extremum ab aliis duobus.
143. Deponentes ex auditu Testium de visu faciunt aliquem probationis gradum.
144. Non requiritur, ut omnes Testes deponent de omnibus, quæ ab aliis asseruntur.
145. Ubi substantia plenè probata est, accidentia non exigunt rigorem probationis.
146. Hamorrhagia quando sit exitialis?
147. Venæ sectio sistit sanguinis fluxum intra modicum tempus.
148. Deliquium totale cohibet sanguinis fluxionem.
149. seq. Satisfit reliquis Argumentis oppositis.
151. seqq. Argumenta pro Miraculo.
158. Censura de insufficientia Miraculi.
159. seqq. Miraculum VI. Sanati Erysipelatis in Capite.
162. seqq. Argumenta contra Miraculum.
169. Testis de Visu Sanationis dici potest, qui infirmum paulo post liberatum vidit.
170. Variatio Testium in accidentalibus, non debilitat eorum fidem.
171. Testes plures præferendi sunt paucioribus contrariis.
172. Nulla Crisis in morbo est bona, qua peracta, non sublevarur natura.
173. Somnus recuperata sanitatis indicium.
174. Calor ruber motum præbet sanguini.
175. Non cessat miraculum, quando pro aliquo tempore vis morbi remittitur, & deinde redit.
176. Erysipelas in capite periculosum est.
177. Sanatio hac fuit instantanea.
178. seqq. Argumenta pro Miraculo.
182. Censura de sufficientia Miraculi.
183. seqq. Miraculum VII. Sanationis Artracii.
186. seqq. Recensentur Argumenta contra hoc Miraculum.
192. Ad probationem omnia documenta simul accipienda sunt, quamvis aliqua sint informia.
193. Conciliantur Testes apparenter discordes.
194. Paralysis, etiam imperfecta sine remediis repente & perfecte sanari naturaliter nequit.
195. Lues Venerea non curatur ab ipsa natura.
196. Paralysis in cruribus facillioris quidem est Sanationis, quam in aliis partibus, absolute tamen raro & difficulter curatur.
197. seqq. Alia adminicula in hoc Casu non potuerunt sufficere ad recuperandam sanitatem.
201. In Sanationibus miraculosis adverbia statim, in continenti &c. moraliter accipienda sunt.
202. seqq. Satisfit aliis rationibus dubitandi.
206. seqq. Firmatur hoc Miraculum ex natura Paralysis, & circumstantiis Sanationis.
214. seqq. Fertur Censura pro sufficientia Miraculi.
217. seqq. Miraculum VIII. Sanationis Ulcercis Gangranosi.
220. seqq. Varia, quæ opponuntur huic Miraculo.
228. Gangrana brevi tempore fit insanabilis.
229. Ad rei certitudinem nihil interest, an suo nomine, aut ea demonstratione, qua nominis vice fungitur, designetur.
230. Medicamenta in hoc Casu adhibita non sufficiebant ad sanationem.
231. Per tempus præteritum indicatur, Personam, de qua sermo est, jam esse mortuam.
232. seqq. Satisfit reliquis rationibus dubitandi.
237. seqq. Argumenta pro Miraculo, præsertim ex difficili curatione Gangrana.
243. Judicatur hæc Sanatio fuisse miraculosa.
244. seq. Miraculum IX. Subita Sanationis Pueruli ab Apoplexia.
246. seqq. Referuntur Argumenta contra Miraculum, & Responsiones Postulatorum.
260. seqq. Recensentur Argumenta pro Miraculo.
263. Judicatur, hæc Sanationem non satis tuto inter Miracula approbari posse.
264. seq. Miraculum X. Liberationis ab imminente strangulatione ex Osse deglutito.

266. *Argumenta pro Miraculo.*272. *Miraculum hoc iudicatur esse dubium, atque ideo insufficiens.*273. *Miraculum XI. Liberationis à periculissimo Puerperio.*274. *seqq. Afferuntur in utramque partem rationes.*282. *seqq. Censura de veritate & relevantia Miraculi.*286. *seqq. Miraculum XII. Subita Sanationis Ischiadis.*299. *seqq. Discutiuntur Argumenta in utramque partem.*317. *seqq. Iudicatur, non omnino abesse omnem dubium circa hoc Miraculum.*319. *seqq. Repetuntur Censura de singulis Miraculis.*

1.



Agnus hic DEI Servus, Turibus postquã in præviis, super hoc institutis Congregationibus Virtutes ejusdem Heroicæ, & Miracula in vita, & post mortem illius intercessionẽ patrata, examinata, & unanimi suffragio sub sanct. mem. Clemente X. & Innocentio XI. approbata sunt, applaudente Urbe, & Orbe, ab eodem Ven. Servo DEI Innocentio XI. Beatorum Catalogo Anno 1679. ut ex Brevi sub die 25. Junij patet, solemniter adscriptus est, dato etiam Indulto, ut die 27. Aprilis, quã die Sacrum ejus Corpus translatum, & in Metropolitana Ecclesia Limana repositum est, in omnibus Ecclesiis tam Sæcularibus, quàm Regularibus utriusque sexûs Civitatis, & Diocesis Limanæ, ubi obiit, item in Civitate Majoricæ, in qua natus est, & in Collegio Ovetensi nuncupato Universitatis Studii Generalis Salmanticensis, in quo humanis, Divinisque Literis imbutus fuit, Officium de eo dici, & Missa celebrari, sub ritu semiduplici de Confessore Pontifice, juxta Romani Breviarii, & Missalis Rubricas singulis annis posset.

2.

Statim, atque Aræ honores Beatus iste obtinuit, placuit DEO Sanctitatem ipsius, & gloriam, quã in cœlo fruitur, novis, & magnis Miraculis nitidius illustrare: quæ omnia publicis tabulis, desuper confectis, confirmata, supra viginti numerantur. Inter hæc Miracula pro Canonizatione illius sollicitanda duodecim electa sunt. Duo ex istis, nempe primum, & septimum circa id ipsum tempus, quo octidua solennitas Beatificationis Anno 1680. celebrabatur, contigerunt in ipsa Civitate Limana. Ubi spatia de his in publicum fama est, duo ex insignioribus Cathedralis Ecclesiæ ibidem Canonici, specialiter electi, nomine totius Cleri Limani, comparuerunt coram Illustrissimo Archiepiscopo suo, & ex causâ, quod accidere posset, ut, antequam Literæ Remissoriales pro reassumendo ad effectum Canonizationis Processu Romana ex Curia impetrarentur, testes istorum Miraculorum oculati moriantur, & sic probationes eorum interirent, eisdem supplicarunt pro conficiendo super illis Processu autoritate Ordinaria.

3.

Archi-Episcopus supplicationem istam, tanquam justam, admisit, considerans Urbis Limanæ à Curia Romana distantiam, ob

quam, si inde Literæ Remissoriales ad effectum examinandi Miracula ista expectari deberent, ad minimum tempore sex annorum opus foret. Quare summâ diligentia simul, & celeritate completus Processus, & occasione Classis, quæ tunc versus fretum Gaditanum vela dederat, Romam ad S. Congregationem transmissus est, additâ supplicatione pro Literis Remissorialibus, ut Processus fieri etiam Autoritate Apostolica posset. Detulit S. Congregatio Supplicationi, statimque Literas Remissoriales concessit. Sed ubi hæc Limam venerunt, evenerat jam, quod timebatur; multi enim ex testibus jam tum decesserunt, ut proinde autoritate Apostolica examen eorum nequiverit repeti. Repetitum ergo est quoad testes superstitis, & Processus Autoritate Apostolica ita confectus, Romam & ipse transmissus, ubi interea super alio Miraculo, quod in persona Clericæ Fatæ ad intercessionem Beati contigit, alius Processus autoritate prædicta factus est.

Proposita Quæstione super valote trium istorum Processuum, nempe duorum Autoritate Apostolica, & tertii autoritate Ordinaria confectorum, in S. Congregatione 14. Martii 1693. duo, facti autoritate Apostolica, approbati sunt, præviâ tamen quoad Processum Limanum sanatione ob defectum Clausuræ depositionum factarum à Testibus eadem autoritate examinatis: quoad Processum Limanum autem, confectum autoritate Ordinaria, oppositâ per Reverendissimum Promotorem Fidei nullitate præcipue ob defectum Jurisdictionis (quippe cum Sedes Apostolica Manum jam apposuerit) nec non ob defectum Clausuræ illius, rescriptum fuit, *supplicandum Sanctissimo, ut testes non repetiti, & præmortui possent considerari pro adminiculo in discussione Relevantiæ.* Decretum hoc Sanct. mem. Innocentius XII. in omnibus approbavit, & dictum defectum Clausuræ depositionum testium sanavit die 4. Aprilis ejusdem Anni 1693.

Cum deinde super Miraculis, quæ in memoratis Processibus continentur, habitæ fuissent Congregationes Antepreparatoria, & Preparatoria 3. Oct. 22. Nov. & 3. Decemb. 1695. & in harum postrema Reverendissimus Promotor Fidei excitasset nonnullas difficultates, iis coram Eminentissimo Cardinali Carpineo Ponente, deinde in Congregatione Ordinaria 28. Februarij & iterum 7. April.

7. April. 1696. discussis, rescriptum, his non obstantibus, fuit, ut procedi possit ad ulteriora in causa coram Sanctitate sua. Supplicantibus igitur Postulatoribus, idem Eminentissimus subscripsit initio propositum, cum Reverendissimo Promotore Fidei concordatum, & in prima proxima Congregatione coram Sanctissimo examinandum Dubium, an scilicet, & de quibus miraculis constet post indulgentiam Beato à Sede Apostolica venerationem in casu, & ad effectum &c. Miraculis, Sacrae Congregationi propositis, præsertim 1. & 7. à dicto Reverendissimo Promotore Fidei objicitur defectus probationis sufficientis, pro qua integranda ille negat, testes, in Processu instituto Autoritate Ordinaria examinatos, servare posse aliter, quam per modum adminiculi. Hinc, ne idem sæpius iterari debeat, antequam singula Miracula discutiantur, necessarium videtur, ut prius discutatur

Quæstio Præliminaris.

An in ordine ad Probationem Miraculorum considerari testes, Autoritate Ordinaria examinati, possint?

7. Rationes dubitandi.

6. Quæstio hæc in eo potissimum versatur, utrum Archi-Episcopus Limanus potuerit Autoritate sua Ordinaria, & citra vitium nullitatis, non obstante prævia appositione Manûs à Sede Apostolica, conficere Processus super miraculis B. Turibii, ne videlicet ob maximam Limanæ Civitatis ab Urbe distantiam, probationes perirent; & quatenus talis Processus, hoc modo confectus, nullus esset, utrum hæc nullitas Autoritate Apostolica sanabilis sit?

7. Pro nullitate istius Processus pugnat 1. Quia per appositionem Manûs, factam à Sede Apostolica, suspenditur Jurisdictio Ordinaria quoad negotium, cui eadem Sedes manus apposuit. Videtur autem extra dubium esse, quòd Processus, in Casu præfenti autoritate ordinaria ab Archi-Episcopo Limano confectus sit post appositionem Manûs Sedis Apostolicæ; nam confectus est post Beatificationem B. Turibii. Dicitur autem Sedes Apostolica in his causis Manum apponere, quando Summus Pontifex Manu propria signat commissionem introductionis illarum. Neque obstat, quòd tum, quando Processus iste autoritate Ordinaria factus est, nondum expedita fuerit nova Commissio re assumptionis Causæ pro transitu à Beatificatione ad Canonizationem; adeoque Processus iste videatur factus ante appositionem Manûs Apostolicæ; nam

8. 2. Appositio Manûs non desumitur à secunda Commissionem, sed à prima, & defacto secunda Commissio non dicitur Commissio Introductionis, sed Commissio Re assumptionis R.P. Schmalzgrueber Conf. Tom. I.

nis in statu, & terminis &c. quæ Commissio sicut supponit Causam jam introductam, & pendentem coram Sede Apostolica, ita de necessitate supponit appositionem Manûs Sedis Apostolicæ in eadem causa: ut proinde patere videatur Processus sic instituti nullitas; neque enim dici potest, quòd tantum sit illicitus; nam

3. De natura appositionis Manûs Sanctæ Sedis est, ut quidquid post eam geritur, nullum, & irritum faciat, prout constat ex Decretis Generalibus, & definitum est à Paulo III. in suo Decreto, impresso post Regulas Cancellariæ ab ipso promulgatas, & latè prosequuntur

Gaspar de Perusio de Reservat. q. 10. Paulutius Jurispr. Sacr. tom. 2. lib. 6. tract. 10. c. 4. Pax Jordan. tom. 2. lib. 10. tit. 2. num. 3. Rota in Bonon. Hospital. 6. Jun. 1707. §. atque ex his, & in ejus Confirmatoria 16. Dec. ejusdem anni. §. minus. coram Onanna: quod ipsum etiam observarunt Auditores Rotæ in Relatione Canonizationis S. Andreae Corsini p. 3. §. 1. post Consult. Lezan. sub n. 22.

Neque obstat, quòd non addantur expressi termini, significantes Irritationem; nam in ipsa Manûs appositione virtualiter continetur Decretum irritans, & inhibitiō specialis, quippe cum suspendat Jurisdictionem Ordinarii quoad negotium, cui Sancta Sedes Manum apposuit. Constat autem, quòd actus, celebratus ab eo, qui Jurisdictionem nullam, aut suspensam habet, ipso Jure nullus, atque irritus sit. Ergo &c. Porro, licet defectus hic Nullitatis Processus aliquando sanatus fuerit in Processu, autoritate Ordinaria confecto super non cultu, ut patet in Hispalensi Servæ DEI Franciscæ Dorotheæ, & alia Hispalensi Servi DEI Ferdinandi de Contreras, & ostendunt super hoc edita Decreta in secunda. 2. Mart. 1641. & in prima 13. Sept. 1642. tamen

4. In causa B. Julianæ de Falconeriis, cum ageretur de Miraculis, fuit negata sanatio Processus, super his instituti autoritate Ordinaria, neque ad sanationem illius S. Congregationem, & Pontificem movit, quòd Archi-Episcopus Florentinus Processum istum confecerit ex causa, quæ videbatur iusta, scilicet, quòd duo Episcopi, qui cum ipso debebant Processum conficere, difficulter haberi potuerint, & interim, dum alii intrarentur Româ, timeretur, ne testes, ob gravem ipsorum ætatem prius morerentur, sicut revera aliqui eorum præmortui sunt ante Processum, autoritate Apostolica institutum; nam his non obstantibus, cum eoram Sanct. mem. Clemente XI. pro hujus Processus sanatione proponerentur preces, 2. Mart. 1709. responsum est negativè. Est quidem inter hunc, & Processum in Casu nostro, ab Archi-Episcopo Limano institutum, disparitas, eaque triplex. 1. Quia

D d d d d 2

9.

10.

In causa hac Florentina ab Archi-Episcopo Processus confectus est post expeditas, & receptas ab eo Literas Remissoriales, quæ in Casu nostro Limano nondum expeditæ, minus receptæ erant tum, quando Processus Limæ autoritate Ordinaria est institutus. 2. Quia si exposita fuisset difficultas de univ. endis Episcopis, ad Processum autoritate Apostolica conficiendum designatis, S. Congregatio, ut frequenter fit, in illorum locum subrogasset tres alios ex Dignitatibus, vel Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ: quæ subrogatio ob locorum distantiam in Casu nostro obtineri non poterat. 3. Quia in nostro Casu à Postulatoribus tota vis constituitur in magna distantia Limanæ Civitatis ab Urbe, quæ ratio in causa Florentina nequaquam urgebat. Verum hæc differentia videntur esse materiales duntaxat; nam

## II.

5. In simillima nostræ causa fuit denegata sanatio Processus instituti autoritate Ordinaria pro Canonizatione B. Stanislai Kostkæ. Agebatur de Miraculo, quod in Civitate Limana intercessione illius contigerat: post appositionem Manûs Apostolicæ Archi-Episcopus Limanus circa hoc Miraculum autoritate Ordinaria formavit Processum: transmissus iste est Romam, & petita ejus sanatio, utpote facti de hoc Miraculo post appositionem Manûs Apostolicæ. Ubi Romam Processus iste pervenit, & examinatus est, ipsum quidem Miraculum approbatum fuit, sed protestatione à Sanct. mem. Clemente XI. interposita, quod aliunde probationes adfuerint in altero Processu Limano, autoritate Apostolicâ postea confecto, ita, ut per consequens ipse abstinuerit ab indagine circa sanationem dicti Processus, neque examinatum, aut decism fuerit, an testibus, in illo examinatis, & quia tempore instituti Processus Apostolici jam mortui erant, non repetitis, sit fides habenda, necne in ordine ad faciendam probationem Miraculi. Merito igitur etiam in hoc nostro Casu sanatio Nullitatis erit desperanda: & hoc præsertim, postquam S. Congregatio ad petitionem Postulatorum pro sanatione defectus, dato Rescripto negativo, addidit, supplicandum esse Sanctissimo, ut testes non repetiti, quia præmortui, considerari possint pro adminiculo: ut adeo insufficientiam illorum ad constituendam se solis probationem ipsa agnoverit.

12.  
Rationes  
decidendi.

Verum hæc non adeo clarè probant nullitatem Processus Limani, autoritate Ordinaria instituti, ut propterea Testibus, in hoc auditis, in ordine ad probationem deneganda sit fides. JUDICO igitur I. Magna cum probabilitate sustineri posse, Processum istum non esse omnino irritum, ipsosque testes, in eo examinatos, & præmortuos tantam mereri fidem, quantam mererentur, si autoritate Apostolica repetiti essent. Nam si esset aliqua ratio, quæ nullitatem dicti Processus evinceret, esset maxime ista, quod

Sedes Apostolica, assumendo causam pro Beatificatione decernenda jam pridem apposerit Manum suam, quæ appositio cum permaneat usque ad finitum Canonizationis negotium, hoc ipso suspensa manserit Jurisdictio Archi-Episcopi, ne in eadem causa quidquam amplius absque Commissione Apostolica agere, vel decernere possit: ut proinde omnia ab eo sic acta, & decreta, tanquam ab incompetente Judice facta, & decreta haberi pro irritis debeant. Atqui istud Rationes in contrarium allatæ non probant; nam

1. Per solenne Decretum, quo Cultus publicus Beato alicui decernitur, adeo absoluta, & terminata est causa Beatificationis, ut defacto post illud exspiraverit Jurisdictio Sacr. Congregationis, ita, ut ea procedere in causa Canonizationis nequeat, nisi mediante nova Commissione, per Summum Pontificem signanda, ut est praxis notissima, & inconcussa: adeoque causa Canonizationis, & Beatificationis considerandæ sunt tanquam diversæ Instantiæ. Est autem hæc natura duplicis diversæ Instantiæ, ut quoad effectum ligandi manus Judici inferiori non influat una in aliam, præsertim, quando prima Instantia fuit extincta, & absoluta, ut in terminis etiam fortioribus docet

Card. de Luca p. 1. de Jurisdic. disc. 7. n. 9. & 12. & consonat Gloss. in l. fin. ff. de postul. Franc. in c. 2. de Juram. in c. 1. de Calumn. num. 3. Mascard. de Probat. concl. 951. num. 9. Et Capyc Latr. consulti. 49. n. 7.

Et conferunt ea, quæ dicuntur de Commissionem restitutionis in integrum, per quam non refurgit instantia semel perempta, sed nova producitur, per tradita

à Vinc. de Ann. Singular. 129. Pascal. de Patr. potest. p. 1. c. 8. n. 204. Carol. de Graff. de Effect. Clericat. Effect. 1. n. 1241.

Videturque ipsa necessitas Commissionis novæ, quæ in hisce causis datur ad hoc, ut Sacra Congregatio post expletum Judicium Beatificationis procedere ad Canonizationis Processum possit, per se satis indicare, quod agatur de Judicio prorsus novo, ac independenti à primo, ita, ut donec Commissio Reassumptionis sit expedita, Jurisdictio Ordinaria saltem ad effectum recipiendi testes, & alias probationes dici debeat residere penes Episcopum, sicut eadem Jurisdictio est penes Episcopum in ordine ad recipiendas easdem probationes in causa Beatificationis, antequam Commissio Introductionis, sit facta. Poterit ergo in utraque causa, antequam Commissio expediatur, Episcopus uti potestate sua Ordinaria, & recipere testes de Miraculis.

2. Esto, quod per appositionem Manûs Apostolicæ in causa Beatificationis, etiam post hanc decretam, ligatæ permaneant manus Ordinarii, etiam quoad causam Canonizationis.

nizationis, ita, ut quæcunque circa hanc absque Commissione Apostolica ab eo facta, sint nulla, & irrita, conformiter ad dispositionem Juris utriusque, statuentis, ut, ubi Judex Superior alicujus Cause cognitionem ad se avocavit, cesset in ea quæcunque Judicis inferioris Jurisdictione,

*L. eos, qui. C. de appell. c. Ecclesia S. Maria. Ut lit. pend. & alibi,*

tamen Dispositio hæc limitari debet, & excipi Casus, quando Judex Superior de facili adiri nequit, & periculum est in mora, ne per mortem, & absentiam Testium, aut ob aliquid aliud Impedimentum probationes intereat, tunc enim potest optimè Judex inferior Testium examen recipere etiam post causam devolutam ad Judicem Superiorem, ut statuunt

*L. cum post. C. de Appell. & ibi Gloss. V. Mediocritas. c. significavit, & ibi Gloss. V. pro eorum receptione. de Offic. Jud. Ordin. & notat Bartol. ad l. 2. §. 3. & 5. C. de Naufrag. ubi ait, Hoc semper est verum, ubicunque necessitas imminet, testes examinari à parte propter periculum mortis, vel absentia in loco longinquo &c.*

Sumitur etiam ex communi Regula, juxta quam, quando periculum est in mora, recedendum est à Regulis Juris Communis, & omnis rigor relaxandus,

ut tradunt Doctores in *l. si longius. l. nemo, l. pro locis. l. mediterraneos. C. de anon. & tribur. Gloss. in c. dilectus. de Appell. Cevall. q. 267. n. 5. Gaill. l. 1. obs. 102. n. 5. & in terminis Solorzan. de Jur. Indiar. l. 3. c. 9. n. 34. tom. 2. pag. 713. ibi, Propter difficilem aditum Superioris, & mortis periculum ejus Consultatio, quæ aliàs requireretur, omittitur, & potest Inferior Superioris partes assumere.*

Et ob hanc causam in Jure cautum est, ut, licet Testes, lite non contestata, recipi prohibeantur, si tamen de eorum morte, vel diuturna absentia timeatur, ad perpetuam rei memoriam etiam ante litem contestationem recipi possint,

*C. quoniam. §. ut lit. non contestat.*

Imò, ut communis Doctorum, cum Felin. in *c. quoniam. cit. n. 4. V. & ut intelligas. col. 299. Roland. à Vall. conf. 23. n. 19. lib. 3. Marfil. Singul. c. 258. Vestr. prax. l. 6. c. 2. n. 4. Secchia de Judic. l. 2. c. 8. n. 105. Lancelot. de Attentat. p. 2. c. 12. n. 38. Matth. de Afflict. ad Const. Neapol. l. 2. rubr. 34. de testib. product. ant. lit. contest. c. probationum. n. 2. Rota in antiqu. decis. 3. aliàs. 109. de testib.*

monet, in eodem mortis, aut absentia diuturnæ periculo, vel stante alio Impedimento, Inferiori Judici permissum est, etiam post interpositam Appellationem, consequenter post appositionem manuum Super-

rioris eisdem Testes recipere, ita tamen, ut si ita recepti adhuc superstites reperiantur, ex Superioris autoritate repetendi sint: si verò ex hac vita decesserint, eorum depositiones non minus attendendæ sint, ac si ipsius Superioris autoritate, & decreto formiter recepti essent, prout constat

*ex l. fin. C. de testib. & docet Lancelot, c. 12. cit. limit. 38.*

suadente sic necessaria Juris æquitate.

*Rot. decis. 321. n. 8. & 9. & decis. 602. n. 17. coram Merlin. item in Asculana, seu Romana Cambii. 12. Dec. 1710. S. nam cum. & in Nullius, seu Caputaqu. Jurisd. 26. Jun. 1711. S. de eadem. coram Ansaldo.*

Cum igitur in præsentî Casu concurrat periculum mortis Testium cum longissima Distantia Civitatis Limanæ ab Urbe, merito dici debet, Testes, ab Archi-Episcope Potestate Ordinaria receptos, & præmortuos, et si in Processu Apostolico repetiti non sint, si dem mereri non minus, ac si in eodem Processu repetiti essent, præsertim quia

3. In Casu præsentî deficit contemptus S. Sedis, cujus causa

*in c. ut nostrum. de Appell.*

cautum est, ne Judex inferior post appositionem manuum Superioris in ulteriori Cause cognitione procedat,

ut advertit Rota in *Bononiens. Hospital. 6. Jun. 1707. S. non ariento, coram Reverendissimo Decano relata. S. vel agitur;*

sed potius Archi-Episcopus, deveniendò ad confectionem Processus, maximam eidem S. Sedi, & S. Congregationi venerationem exhibuit, dum protestatus est, se hunc instruere ad eum duntaxat effectum, ut cum iisdem Miraculis ad eandem S. Sedem recurratur: quæ solenni protestatione in Jure nulla dari major probatio potest,

per textum *l. 1. ff. de Confess. l. un. C. eod. Bonden collect. 4. n. 29. & 30. Rota recent. decis. 157. n. 4. p. 4. & in Casen. Immissio. 9. Decemb. 1718. S. neque. coram Ansaldo.*

Aliud ergo est, Processum conficere animò se ingerendi in meritis Cause, seu approbandi Miracula; aliud verò Testes tantum, & Informationes recipere ad effectum eas sistendi coram Judice Supremo, & Sancta Sede: primum Jure optimo interdictum est Ordinariis, postquam Apostolica Sedes Manus suas apposuit; quia id saperet manifestum ejusdem Sacre Sedis contemptum: non verò secundum; imò hoc potius monstrat præclaram ejusdem Sedis venerationem, cum Ordinarius talia peragens intelligatur istud facere animò famulandi, & inserviendi dictæ Sedi, præveniendò nimirum hujus Commissionem, quam otiosè expectare periculosum foret: ut proinde locus sit communi Jctorum adagio, juxta quod legi non dicitur adversari, qui finem ab illa intentum

D d d d 3

non

non violat, & promptius exequitur illud, quod Legislator ipse præcepisset.

*C. quanto. de Privil. l. non dubium. C. de LL. l. 3. in fin. C. de liber. præter.*

Et sic salvatur obsequium Sedi Apostolicæ debitum, & simul consultum manet Causis Servorum DEI, quo Processus in remotissimis Regionibus conficiendi sunt. Imò

16.

4. Defacto ob loci distantiam, & periculum mortis Testium S. Congregatio non semel cum solis Processibus, quos Ordinarii confecerunt, devenit ad Examen Miraculorum, in remotis Regionibus patratum, prout tanquam Testis de visu, & facto proprio indubium esse perhibet

*Card. de Laur. de Miracul. D. 20. art. 26. pag. 667. n. 2251.*

ubi exemplum adducit S. Joannis de S. Facondo, S. Ludovici Bertrandi, & B. Francisci Solani pro Beatificatione. Neque obstat, quòd isti Processus fuerint Autoritate Apostolica compulsati; vis enim non consistit in Compulsatione, quæ est quid ab ipsis Processibus extrinsecum, sed in eorum validitate, quam habuisse ab initio statim fuerunt crediti, licet, post Manum in Causis dictorum Servorum DEI à S. Sede appositam, ab Episcopis autoritate ipsorum Ordinaria confecti essent, ut bene ratiocinando

*l. cit. concludit Card. Laur. n. 1168.*

Unde si Processus illi pro validis habiti sunt ex eo solum, quòd ageretur de Processibus constructis in remotissimis Regionibus, idem censendum erit de Processu nostro Limæ confecto. Et esto, res ista aliquam patiat difficultatem, tamen

17.

JUDICO 2. In hoc Casu, consideratis omnibus ejusdem circumstantiis, petitam Sanationem defectus nullitatis, quo Processus, Episcopali Autoritate confectus, laborare dicitur, merito indulgeri potuisse, & posse. Nam 1. Concordi Doctorum Sententiâ proditum est, nullitatem Examinis Testium, quamvis procedentem ex defectu Jurisdictionis, sanari debere, quoties constat, ad id devenit esse non ex contemptu Superioris, sed impulsu necessitatis.

*Vant. de Nullit. quæst. fin. qual. sent. process. quæ dicunt. null. reparat. poss. n. 24. Ant. Aug. de testib. n. 29. Posth. de manutent. obs. 91. n. 27. Rota post eund. decis. 378. n. 1. coram Puteo. decis. 301. n. 3. lib. 3. coram Pamphil. decis. 197. à n. 5. & decis. 143. n. 19. item recent. decis. 42. fin. p. 1.*

Ideoque in Supremis Tribunalibus usus invaluit, ut super hujusmodi Processuum Nullitatibus facillimè Sanationis arbitrium impendatur,

prout refert Adden. ad Buratt. decis. 454. n. 18. ibi,

Quando est datum arbitrium Rotæ pro Sanatione Nullitatis Examinis Testium, Rota de

facili solet respondere pro arbitrio. Et verò Sanationem istam

2. Videtur mereri bona fides, quæ Archiepiscopus in Causa ista processit; credere enim potuit, etsi poneretur, manus suas per appositionem Manis Apostolicæ ligatas fuisse, id solum intelligendum esse quoad Approbationem Miraculorum, eorumque evulgationem, non verò quoad captendas Informationes, & conficiendos Processus ad effectum illos transmittendi ad Sanctam Sedem, ut ab hac deinde formaretur judicium, cum aliis

18.

per c. *audivimus. de Reliqu. & Venerat. Sanct.*

Episcopus sit ordinarius Judex quoad actus præcedentes Beatificationis, & Canonizationis Judicium, uti est Inquisitio super Virtutibus, & Miraculis: quam potestatem ipsi satis aperte adstruit Tridentinum

*Sess. 25. de Reliqu. & venerat. Sanct.*

ubi statuitur, nulla esse admittenda nova Miracula, nisi ea *recognoscente, & approbante Episcopo*. Neque obstat, quòd Archiepiscopus sciverit, vel saltem scire potuerit, & debuerit Decreta Generalia Urbani VIII, quibus prohibetur, ne Ordinarii se intromittant in Causis Servorum DEI, postquam Sedes Apostolica Manus apposuit; nam secundum dicta *Num. 13.* existimare potuit, appositionem manus per Decretum Beatificationis cessasse, vel si non cessavit, eadem Decreta Generalia, sicut alia Jura, quæ prohibent, ne Judex inferior se ingerat in Causam, cui Superior Judex manum apposuit, limitationem accipere in Casu (qualis in præsentis fuit) necessitatis, & periculi amissionis Testium, ac proinde Jurisdictionem ipsi non esse ademptam, saltem ad effectum, ut supra dixi, examinandi Testes, & formandi Processum pro Informatione S. Congregationis, ut hæc ad ulteriora facilius posset procedere. Et quidem

19.

3. Hæc Sanationis gratia videtur tanto facilius indulgenda in præsentis Casu, ubi Testes fuerunt judicialiter recepti cum legitimo Contradictore, & sub rigorosis Interrogatoriis Promotoris Fiscalis Curie Archiepiscopalis Limanæ, servatisque omnibus, quæ juxta praxim S. Congr. servanda sunt, ut protestati sunt ipsimet Judices, qui ad constituendum Processum hunc devenerunt; nam quando Examen Testium in tali forma præfactum est, id operatur, ut ex eorum depositione dicatur haberi certitudo facti, quæ concurrente, beneficium Sanationis adversus nullitatem, quomocumque ista in Examine intervenerit, non solet denegari, ut cum communi docet

*Faber in Cod. lib. 3. tit. 12. de Jurisd. omn. Judic. defn. 24. fin. & l. 6. tit. 11. defn. 26. fin. & notant Alex. conf. 111. lib. 5. Franc. de Pont. conf. 1. n. 104. Marsil. singul. opin. 402. Cancr. var. reso-*

resolut. c. 16. n. 63. lib. 1. Rota decis. 777. n. 3. coram Coccino.

Neque obstat, etsi nullitas procedat ex incompetencia Judicis; quia

20.

4. Testes examinati coram Judice incompetente, si in reliquis servata sint de Jure servanda, plenè probant coram Judice competente, ut unanimiter tradunt scribentes

*in l. ingenuum. ff. de Stat. hom. & in l. 1. §. pen. in fin. ff. de liber. exhibend. Butrio in c. causam, quæ. 11. n. 4. de testib. Alex. in l. sape. n. 12 §. ff. de re judic. Gratian. discept. for. c. 869. n. 16. Achill. decis. 5. fin. de Judic. Rota coram Gregor. decis. 535. n. 9. coram Pamphil. decis. 197. n. 7. & recent. decis. 271. n. 2. p. 1.*

Quod multò magis verum est, quando ex aliqua necessaria causa, & in specie, nè probationes pereant, testes recepti sunt; nam tunc plenissimam fidem faciunt etiam coram Judice competente, juxta celebrem Theoricam

Ludov. Rom. in l. si verò. §. de viro. ff. solut. Marr. in cujus confirmationem adducit Alex. in addit. ad Bartol. in l. 1. C. de naufrag. ubi idem Bartol. n. 2. Consentiant Canonistæ omnes in c. quoniam. Ut lit. non contest. & signanter Fagn. in c. significavit. de testib. n. 8. Marfil. singul. 211. Scaccia de Judic. l. 2. c. 8. n. 314. & 318. Ridolphin. prax. p. 1. c. 2. n. 207. Card. Laur. D. 20. art. 26. pag. 667. n. 251. fin. Matta de Canoniz. Sanct. c. 18. n. 15. §. ad 4. Rota coram Mohedan. decis. 7. n. 3. de testib. & coram Caput aqu. decis. 280. n. 5. & recent. decis. 462. n. ult. p. 1.

Denique

21.

5. Accedit constans Praxis S. Congregationis, quæ propterea sæpius in similibus Casibus uti consuevit Processibus, Autoritate Ordinaria confectis, dispensante Summo Pont. in hac Solennitate,

ut testatur Card. Laur. D. 20. cit. art. 25. §. 6. n. 1167. ibi,

*Et nihilominus Causa Patroni exhibeat illum (Processum) Autoritate Ordinaria confectum, in quo Summus Pont. dispensare solet in hac Solennitate, & eum admittit ad probandum, quod egomet pluries factum vidi in Causis Regionum remotissimarum: additque rationem; quia Processus illi, facti Autoritate Ordinaria, aliquando, & sæpe inserviunt principaliter S. Sedi ad Beatificationem, & Canonizationem. Quam æquissimam Praxin S. Congregatio secuta est in Causa B. Joannis Francisci Regis sub die 21. Febr. 1711. ubi in Decreto desuper edito, Et ex motivis, inquit; ac circumstantiis specialibus, in hac causa concurrentibus, admitti ad Subsantiam Probationis, & non pro solo adminiculo primam partem Processus Anticenis, Autoritate Ordinaria constructi, validam quoad primam partem, à S. Congr. declaratam.*

Ex his ita discussis facile inferitur Responsio ad Argumenta contraria, allata à Num. 7. Ad 1. Ut patet ex Num. 12. & 13. magna cum probabilitate sustineri potest, quòd per Decretum Beatificationis emanatum cessaverit Suspendio Jurisdictionis in hac Causa, quæ inducta fuit per Appositionem Manùs Apostolicæ, adeoque Archi-Episcopus, usque dum expediretur nova Commissio super Causa Canonizationis, liberè potuerit uti Potestate suâ Ordinariâ, & recipere Testes de Miraculis, præsertim cum in hoc Casu id suaserit necessaria ratio, nempe maxima locorum distantia, & ex hac consequens periculum, ne interea, dum Commissio nova expediatur, Testes moriantur, & ita probationes intereant: ob quam Rationem, ut Num. 14. vidimus, recipi Testes possunt, qui extra hujusmodi circumstantias recipi de Jure non valent: ut propterea Appositio Manùs Apostolicæ, facta pro Causa Beatificationis, nullitatem Processus, postea ab Archiepiscopo in ordine ad Canonizationem confecti, non inducat; vel si induxerit, omnis æqui, bonique ratio suadeat, ut benignâ Sedis Apostolicæ dispensatione sanetur: quòd suadent Argumenta proposita Num. 17. & seqq.

22.

Respondetur ad oppositas Rationes.

Ad 2. Non obstat, quòd nova Commissio, quæ in Curia Romana fieri solet, quando post Beatificationem proceditur ad solennem Canonizationem, non dicatur Commissio Introductionis Causæ, sed Commissio Reassumptionis in statu, & terminis &c. nam Vox Reassumptio indicat quidem, talem Causam fuisse aliàs à Sancta Sede discussam; per hoc tamen non probatur, quòd post Decretum Beatificationis perseveret Appositio Manùs ejusdem Sanctæ Sedis: imò Argumentum Num. 13. allatum clarè probat, eandem hoc ipso cessasse, cum post dictum Decretum sit omninò finita instantia, & per Decretum Reassumptionis incipiat nova. Hinc optimè stare simul hæc duo possunt, scilicet, quòd durante Processu Beatificationis, suspensa fuerit Jurisdictio Ordinaria Episcopi, ne ulterius vi istius progredi in Causa posset, & quòd statim, atque Causa Beatificationis per Decretum istius finem accepit, suumque effectum habuit, Appositio Manùs Apostolicæ exspiraverit, ita, ut Manum Episcopi non amplius liget, nisi post expeditam novam Commissionem Reassumptionis.

23.

Ad 3. Decretum Urbani VIII. ubi cautum est, quòd, postquam Apostolica Sedes apposuit Manum - - - non possit Ordinarius amplius in re quoquo modo se intromittere, procedit cum debita conformatione ad alias Leges, quæ ob Appositionem Manùs, factam à Judice Superiore, prohibent, ne Judex inferior ulterius in Causa se intromittat; nam Statuta, & Constitutiones Apostolicæ eandem, quam Leges aliæ, interpretationem, & declarationem accipiunt.

24.

Gabr.

Gabr. *conf. 1. n. 2. lib. 2.* Mascard. *de Gener. Statut. interpr. concl. 2.* Bonden *collect. 3. n. 81.* Rota *coram Buratt. decis. 461. n. 3.* cum aliis apud Anfald. *de commerc. & mercat. disc. 38. n. 43.*

Leges autem alia, quæ propter Appositionem Manûs, factam à Judice Superiore, Inferiori prohibent, ne in causa se ingerat, solum procedunt in casu, quando non adest periculum, ne ob moram probationes intereat. Igitur cum eadem limitatione etiam accipiendum dictum Urbani Decretum, ex communi Juris principio, quod ubi eadem est ratio, eadem etiam esse determinatio debeat per Textum

*L. illud. 32. ff. ad leg. Aquil. l. quævis, & l. hereditatem. C. de impuber.* Menoch. *conf. 32. n. 19.* Surd. *conf. 51. n. 15.* Rota *decis. 379. n. 3. p. 3. decis. 348. n. 2. & 6. p. 4. tom. 2. recent. decis. 649. n. 7. & 8. coram Emerix; & decis. 3. n. 1. coram Anfaldo.*

ut adeo præsumi non possit, Pontificem tulisse Legem, ob cujus observationem Veritatis probationes amitterentur in Causis, totam Ecclesiam respicientibus. Et hinc

Contelor. *de Canoniz. Sanct. c. 5. n. 15. §. ad 4.*

ait, in casu, quo periculum est, ne testes moriantur, & probationes pereant, Episcopum quidem non posse approbare Miracula, posse tamen sumere Informationes, & examinare testes super Miraculis, iudicium de his relinquendo S. Congregationi, & S. Sedi.

25.

Ad 4. In Causa B. Julianæ de Falconeriis meritò fuit negata sanatio Processûs, super Miraculis instituti per Archi-Episcopum Florentinum; nam, ut bene dicitur *Num. 10.* in eo casu ob exiguam Civitatis Florentinæ ab Urbe distantiam de facili adiri potuisset Sedes Apostolica, & ab hac peti, ut alii constituerentur Commissarii, qui cum Archi-Episcopo ejusdem Sanctæ Sedis autoritate formarent Processum. Cum igitur in Casu nostro tota vis Argumenti, ex quo Sanatio Processûs petitur, consistat in magna distantia Limanæ Civitatis, quæ ratio in dicta Causa Florentina non pugnat, dicendum, disparitatem inter hos duos Casus non materialem, sed formalem esse. Magis ad propositum serviunt duæ Causæ Hispalenses, *Num. 9.* allegatæ, ubi Processus, ab Ordinario autoritate Ordinaria confectus super non cultu post appositionem Manûs à S. Sede, à Sacra Congr. benignè fuerunt sanati; nam his casibus Casus noster consimilis, imò favorabilior est: in illis enim Processus constructi sunt ab Ordinario post appositionem Manûs à S. Sede: contra in nostro casu super novis Miraculis Processus confectus est post expletam Causam Beatificationis ex mera necessitate ad evitandum periculum amissionis probationum, neque adhuc expedita fuit Commissio Reassumptionis Causæ, atque adeo Archi-Episcopus, consideratis his circumstantiis,

justè opinari potuit, Casum istum in Generalibus Urbani VIII. Decretis non comprehendendi, consequenter se uti posse autoritate Ordinaria ad effectum recipiendi testes, eorumque depositiones dein transmittendi ad S. Sedem. Hinc si in dictis duabus Causis rescriptum est pro gratia sanationis, multò fortius ita rescribendum est in Casu præsentis, præsertim si consideretur multò major distantia Civitatis Limanæ, quam Hispalensis ab Urbe, quæ circumstantiæ præ cæteris in hisce Casibus considerari debent,

ut monent Riminald. *Supplem. ad observ. crim. ad c. 4. supplem. 3. n. 41. & seqq. præsertim sub n. 47.* Giurba *Consil. criminal. 50. n. 1.* Card. Laur. *de Mirac. D. 20. art. 25. §. 6. n. 1167.*

Ad 5. In dicta Causa B. Stanislaï tunc temporis nec Postulatoribus, nec Reverendissimo Fidei Promotori innotuerunt Exemplaria Sanationum concessarum in præfatis Causis Hispalensibus, quæ si fuissent S. Congregationi proposita, ista juxta praxim, quam eadem S. Congregatio habet, insistendi Exemplis anterioribus, procul dubio Sanationis gratiam indulgisset. Neque obstat, quòd in isto casu S. Congregatio responderit negativè, addendo, supplicandum esse Sanctissimo, ut testes non repetiti, & præmortui possint considerari pro adminiculo in discussione relevantiæ; nam additione hujus Clausulæ eadem S. Congregatio voluit præstare gratiam: consequenter censei non potest voluisse præjudicare Postulatoribus, ne integrum ipsis esset petere Sanationem Processûs in ordine ad ipsam probationem, ex dictorum Testium depositionibus constituendam, ne aliàs gratia in maximum Causæ præjudicium detorqueretur.

contra Reg. *quod ob gratiam. de R. J. in 6. l. nulla Juris ratio. ff. de LL. l. quod favore. C. eod.*

Imò hoc ipso, quòd dicta S. Congregatio motu proprio consilium dederit, ut supplicaretur Sanctissimo pro admissione eorundem testium ad constituendum aliquem probationis gradum, satis intelligitur, quòd ipsa judicavit ex depositionibus illorum posse erui veritatem, totamque difficultatem consistere in solo defectu solemnitatis, scilicet, quia ipsi testes non sunt recepti autoritate Apostolica: ex quo consequitur, in eodem Casu Postulatores sperare potuisse ipsam Sanationem Processûs ex integro; quoties enim de veritate depositionum constat, sicut injustum foret, eas totaliter rejicere,

ut ait Vestr. *prax. l. 5. c. 13. n. 4.* Rota *coram Martin. Andr. decis. 28. n. 4. & recent. decis. 132. n. 1. p. 4. tom. 2. & decis. 13. n. 6. p. 8.*

Ita in casu, quo Rescriptum, quòd testes ejusmodi inservire possint pro adminiculo, effectu suo careret, indulgenda est ipsa sanatio. Præsertim autem gratia hæc videtur locum habere in Casu præsentis, ubi omnis

absq.

26.

abest negligentia, & contemptus in Postulatoribus, quod patet ex summa celeritate, quæ confectio controversi Processus, ejus ad Urbem transmissio, impetratio Literarum Remissorialium, & harum ad Civitatem Limanam translatio peracta est, quippe quæ omnia facta sunt spatio sex annorum (quod tempus, considerata locorum distantia, brevissimum est) cum alter Processus in Causa B. Stanislai non minori, quam 25. annorum spatio potuerit confici. Examinata sic, decisæque Quæstione hac Præliminari, securo pede procedi potest ad Examen ipsorum Miraculorum, inter quæ proponitur

MIRACULUM I.

Repentinæ Sanationis Maniaci Octimestris.

27. **M**ense Februario 1680. Joseph de Andrada, Collegii S. Martini in Civitate Limana Alumnus, Theses Theologicas pro Gradu Baccalaureatus consequendo proximè propugnare debuerat. Ad hunc Actum, ne ab aliquo ex Condiscipulis suis vinceretur, studio, per 24. horas continuato, eâ contentione se præparavit, ut cerebrum insigniter læderet. Auxit læsionem apprehensio vehemens, ex data sibi à P. Rectore Seminarii reprehensione aciori concepta. Occasus hujus, & causa fuerat, quod absque hujus licentia Joseph paternam domum abiit, ut cum Fratre suo, Sacræ Facultatis Doctore capita sibi præscripta, ex quibus respondendum ipsi erat, repeteret. Hoc quia Legibus Collegii adversabatur, redeuntem illum asperioribus paulò verbis Rector excepit.

28. Ex apprehensione hujus reprehensionis, & simul ob continuatum intensissimum studium, quo caput debilitaverat, defectus Andrada fuit de statu mentis, in quo statu perseveravit à Mense Februario usque ad Mensem Novembrem dicti anni 1680. Furor adeò gravis illum inceserat, ut necesse fuerit manus, pedesque ferreis catenis constructum tenere, ne sibi, & aliis damnum faceret. Adhibita sunt à Medico, ad curam ipsius vocato, proportionata remedia; sed vis mali his omnibus superior erat: quo viso, Medicus pronuntiavit, Maniam, quam Infirmus hic pateretur, esse primi generis, speciei, & gradus, nec superesse remedium ullum, quo ille juvari posset: hinc eundem, tanquam incurabilem, dereliquit.

29. Interea sub Mensem Novembrem octiduanæ feriæ in honorem B. Turibii, quem S. Sedes nuperrimè Beatorum Albo adscripserat, parabantur. Furor Infirmi nostri tunc gravior erat, ita, ut Mater miserum hunc filium suum, quod clamoribus, & ululatibus cunctis molestus esset, jam decreverit, in remotiorem aliquam ædium partem

B. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

concludere. Prius tamen, conceptâ in Beatum fiduciâ, hujus Reliquiam eidem applicavit, simulque suavit, ut Sancti Archi-Episcopi (sic antonomastice apud Limanos Beatus noster vocatur) opem expeteret: quo factò, in instanti sibi restitutus, se jam bene valere dixit, addiditque, se statò die Solemnitati interfuturum.

Quare, cum mentis sibi plenè compotis indicia omnia daret, vinculis, quibus revinctus erat, solutus, quod dixit, fecit, & bido, aut triduo Processioni, in honorem Beati institutæ spectator adfuit. Prosecutus dein fuit Theologiæ Studium, Lauream ex illa accepit, Sacerdos ordinatus sæpius cum aliis pro Beneficiis Ecclesiasticis concurrat, Conciones ex suggestu ad populum cum insigni commendatione habuit, aliæque explevit, quæ Judicium undequaque perfectum dilucidè comprobabant, prout undecim testes, & ex his Medicus curæ, oculati omnes deposuerunt.

Triplex dubium formari circa Miraculum istud potest. 1. Circa Probationem. 2. Circa Relevantiam. 3. Circa Instantaneitatem Sanationis.

DUBIUM 1. *Utrum Miraculi istius adsit Probatio, ad plenam fidem faciendam sufficiens?* Videtur deficere requisita Probatio. Nam 1. Pro hoc Miraculo allegantur Testes aliqui, qui examinati fuerunt in Processu factò potestate Ordinaria, & ob eorum prædecessum repeti non potuerunt in Processu, Apostolica autoritate confectò: ut adeò in istorum depositionibus nulla vis directæ, & principalis, sed subsidiariæ duntaxat, & adminiculativæ probationis reponi possit, cum Sedes Apostolica Manum Causæ jam apposuerit, & sic iidem Testes ob defectum Jurisdictionis in Archi-Episcopo examinati sint nulliter. Videndum proinde est, an adæquata probatio habeatur ex Processu, postea autoritate Apostolica instituto Limæ super iisdem Miraculis, testibus cæteris, qui in hoc Processu repeti non potuerunt, rejectis ad purum, & simplex adminiculum, de cujus naturâ est robor addere probationi in se perfectæ, absque eo, quod probationem de imperfecta ad perfectam elevare possit; aliàs non adminiculi, sed probationis naturam indueret. Neque obstat, quòd sæpius à S. Congr. admittà fuerit conjunctio Processus Ordinarii cum Processu Apostolico in Linea coæqualis probationis; nam distinguendum est inter Processum institutum autoritate Ordinaria, antequam Sedes Apostolica Manum apposuerit, & inter eum, qui contactus est ab Ordinario post appositionem Manus à S. Sede. Si primum contigerit, & talis Processus validitas à S. Congreg. discussa, & approbata fuerit, atque ulterius doceatur, testes, in eo Processu auditos, mortuos fuisse ante compilationem Processus Apostolici, ita, ut in eo repeti non poterint, & insuper si adsint cæteræ conditio-

E e e e nes.

30.

31.  
Dubium 1.  
Rationes  
Dubitandi.

nes, maximè verò, si uterque Processus taliter concordet, ut probata in Processu Ordinario confirmata maneat in Processu Apostolico, hujusmodi testes, eorumque depositiones, factæ in Processu Ordinario, conjunguntur cum testibus, & depositionibus istorum, auditis in Processu Apostolico, ita, ut ex omnibus simul junctis in Linea probationis procedatur ad Beatificationem; Episcopus enim habet à SS. Canonibus facultatem conscribendi Processus in hisce Causis, quæ facultas cum ablata ipsi non sit per Decreta Urbani VIII. & Innocentii XI. meritò dici potest, quòd Processus ab ipso confectus, licet non sufficiat solus, accedente tamen Processu Apostolico, probationis vim habeat. Et in his terminis admissi sunt testes, in Causis B. Joannis Francisci Regis, Servæ DEI Hyacinthæ de Marefcottis, & Servi DEI Joannis de Prado auditi ab Ordinario. Si secundum, & Sedes Apostolica Manum jam apposuerit, Processus confectus ab Ordinario nunquam conjungi potest in linea probationis cum Processu Apostolico, cum talis Processus sit apertissimè nullus, prout statuit in Decretis suis Generalibus Urbanus VIII. & ante hæc Decreta docuerunt

Caparius *Director. Canoniz. M. S. p. 1. c. 3.* Et Auditores Rotæ in Relatione S. Andrea Corsini p. 3. §. 1. n. 212.

Et meritò; nam in appositione manû Superioris virtualiter continetur Decretum irritans, quod actus reddit nullos, qui post illam fiunt ab inferiore.

Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. § 2. n. 6.* Falcon. *de reserv. q. 4. principal. effect. 1. num. 4.* Murga *de Benef. q. 3. num. 316.* Rota in *Bononiens. Hospit. 6. Jun. 1707. §. atque ex his, coram Lancetta, & in ejusdem Confirmatione 16. Decemb. ejusdem anni §. minus reservat. coram Omanna.*

Fuit autem in Casu præsentis processus ab Ordinario confectus post Beatificationem, & sic post Manû Apostolicæ appositionem; nam Papa in hisce Causis dicitur apponere Manum, cum signat Commissionem Introductionis Causæ, juxta Decretum editum in Causa Vivariensi Servorum DEI Jacobi Salsij, & Guilielmi Saltamochii 15. Febr. 1659. Sanari quidem defectus hic potest à S. Sede: sed hujusmodi sanationis Exempla solùm extant, quando agebatur solùm super non cultu; & tale Exemplum est in Causa Hispanensi Servæ DEI Franciscæ Dorotheæ 2. Mart. 1641. nullum verò Exemplum reperitur, quando agebatur super Dubiis principalioribus Virtutum, & Miraculorum; sed potius habebuntur Exempla contraria, & in specie in Causa Florentina B. Julianæ de Falconeris 2. Mart. 1709. & præcipuè in Romana, seu Polona Canonizationis B. Stanislai, ubi Miraculum, de quo, pendente appositione Manû Apostolicæ, Processus ab Archi-Episcopo Limano confectus est, ap-

probatum quidem fuit à S. M. Clemente XI. sed cum protestatione ab eo facta, quòd totum, & integrum pondus probationis repone- ret in Processu Apostolico super eodem Miraculo confecto, nullâ ratione habita Processus instituti ab Ordinario: quod apertissimum signum est, quòd juxta praxim Sedis Apostolicæ sanationi Processus, confecti ab Ordinario post appositionem Manû à dicta Sede, locus non sit, licet ille in Civitate Limana, vel quacunque alia remotissima Regione confectus sit. Et sic in hac ipsa Causa, cum Postulatores pro Sanatione supplicassent, illam non potuerunt obtinere, sed S. Congregatio 14. Mart. 1693. respondit negative, sed supplicandum Sanctissimo, ut testes non repetiti, & præmortui possint considerari pro adminiculo in discussione Relvantia, cui Sanctissimus 4. April. ejusdem anni annuit: quod responsum S. Congreg. quacunque spem Sanationis tollit. Videndum igitur est, utrum ex testibus, receptis in Processu Apostolico, sufficiens probatio haberi possit. Atqui ex his testibus probatio sufficiens ad Miraculum hoc approbandum videtur deficere; nam

2. Inter testes, auditos in Processu Apostolico, allegatur ipse Sanatus, qui ex multis capitibus facere fidem non potest; nam 1. In Processu, confecto autoritate Ordinaria, ingenuè fatetur, totum id, quod passus est, sibi apparere tanquam visum per somnium, & propterea se de statu, in quo constitutus erat, exactam Relationem dare non posse. Igitur quoad primum Extremum Miraculi nihil probat, maximè, quia 2. Circa qualitatem morbi sui sibi contrarius est; nam una vice dixit, dementiam, quâ laborabat, fuisse cum risu, antea autem dixit, se esse immemorem qualitatis morbi, & solùm se recordari de furore. 3. Eadem ratione etiã non probat circa medium, seu Invocationem; quia etiã hæc facta est tempore, quo insaniebat. 4. Circa primordium autem Sanationis deponit solùm de auditis à Sorore, quippe à qua dicit sibi narratum, quòd sub principium solennitatis, institutæ in honorem Beati Turibii sibi illa dixerit, an velit etiã ipse illam spectare, ipseque responderit, post octiduum staturum se bene, & inter futurum eidem Solennitati. Imò 5. Si responsio hæc accipi vellet pro indicio restituti jam usûs rationis, probaret, Sanationem adscribi non posse intercessioni B. Turibii; nam tunc eidem nondum applicata erat illius Reliquia, quippe quam Mater Sanati postea primum applicasse constat. Similiter

3. Fundamentum firmum poni non potest in Depositionibus reliquorum Testium; nam factæ ab istis in Processu Apostolico quoad multa discordant à factis in Processu instituto autoritate Ordinaria, & 1. Quidem plerique ex his Testibus in Examine, factò autoritate Apostolica, binas

refe-

32.

33.

referunt causas dementiæ, nimirum reprehensionem à Collegii Rectore acceptam, & nimiam animi ad Studium applicationem; in Examine verò, Authoritate Ordinaria instituto, loquuntur solum de hac posteriore causâ. 2. Primus Testis, examinatus Authoritate Apostolica, fatetur sui absentiam de tempore applicationis Reliquiæ, & Sanationis hanc consequentis; & tamen in Examine factò Potestate Ordinaria, ait, Miraculum hoc personalissimè transiisse per manus suas. 3. Similiter Testis secundus in depositione, factâ Authoritate Ordinaria, inter alia dixit, quòd Medicus quolibet circiter decendio visitârit Infirmum, ut videret, an ex remediis applicatis spes Salutis affulgeret; item quòd ante applicationem Crucis, quâ in Vita Beatus usus est, per duos, vel tres dies jam æger cœperit sibi præsens esse: de quibus circumstantiis nihil dixit in Examine, instituto authoritate Apostolica. Præterea

34. 4. Testes producti dissident inter se. 1. In qualitate Reliquiæ; nam primus, & tertius dicunt, se nescire, qualis illa fuerit: Testis quartus dicit, eam fuisse pileum Beati, qui cum infirmo impositus esset, eum statim habuisse melius; Mater verò illius de pileo imposito tacet, & ait, se adveniente Solemnitate Beatificationis, cum acrius Infirmus fureret, dedisse eidem particulam Ossis ex eodem Beato, ac tum eodem instanti eundem convalescere. Rursum 2. Idem Testis quartus deponit, quòd pileus Beati fuerit Infirmo postea pluries impositus, quin liberatus remanserit: unde non verificatur dictum aliorum Testium, deponentium de amentia non interrupta. Insuper 3. Testis 26. asserit, Reliquiam fuisse traditam à se, in quo contradicit Testi secundo dicenti, eam fuisse traditam à Didaco fratre Lucie, Matris Ægroti. Denique 4. Testis tertius de auditu ab Uxore refert discursum Ægroti in actu Sanationis in hæc verba: *DEUS me adjuvet! & sic ego me habui? nunc jam bene valeo: solvite me!* quæ verba non ita referunt alii Testes, nec ipsamet Uxor, ex cujus ore Testis iste ita se audivisse testatur.

35. 5. Ex omnibus Testibus, examinatis in Processu Apostolico, Testis de visu super utroque Extremo, & Invocatione sola est Soror Sanati. Patet ex enumeratione eorum; nam 1. Testis primus quoad Invocationem, & applicationem Reliquiæ Beati, & Sanationem Ægroti tantum est Testis de auditu à Matre, & Sorore ejusdem. 2. Testis tertius est tantum de visu super secundo Extremo, & quidem absque qualitate Instantaneitatis. 3. Idem verificatur in Teste quinto, qui fuit Medicus Curæ, quippe qui de Invocatione, & Sanatione tantum refert ex auditu à Domesticis. Nec absimilis est 4. Testis sextus, Nam licet ille sit Testis de visu quoad pri-

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

mum Extremum, quoad Invocationem tamen, & secundum Extremum est de auditu à Sorore, & Matre Sanati. Par est ratio 5. In Teste 33. Quippe qui Invocationem, & Sanationem quidem historicè refert, nunquam autem dicit, se Testem esse oculatum. Magis dilucidè 6. De auditu solo deponit Testis 36. Afferuntur quidem ex Testibus; auditis in Processu, confecto Authoritate Ordinaria, complures alii, & inter hos Mater Sanati, quos clarè constat, fuisse Testes de visu proprio; sed cum Processus iste juxta dicta Num. 31. ex defectu Jurisdictionis in Episcopo fuerit nullus, iidemque Testes, utpote morte præoccupati, in Processu Apostolico nequiverint repeti, præbere tantummodo adminiculum possunt, ut adeò tota probatio innitatur unius tantum Testis de visu, & quidem Fœminæ depositioni: quæ proinde ad declarandum Miraculum sufficiens esse non potest: cui accedit, quia

6. Testes producti non dant sufficientem rationem suæ Scientiæ, non probant negativam Crisium, aliqui illorum sunt singulares, & varii, ex eorum depositionibus non liquet satis de Instantaneitate, & medicamentis non applicatis, quibus fortè Sanatio attribui posset: consequenter non sunt idonei, vel saltem non omni exceptione majores, atque adeò sufficientem Probationem Miraculi non possunt facere, quippe quæ Juridica, & plenissima esse debet ad formam Decretorum Generalium: quibus consonat Decretum Clementis IX. editum 1668. ibi, *Ea verò, quæ post indultam venerationem, seu Cultum quomodolibet supervenerunt, debeant per Juridicas Probationes discuti, ac praviam naturam discussione ad Juris trutinam redigi, prout hactenus inconcusè servatum fuit, ut ex iis constare possit, num Sedes Apostolica tunc valeat ad solemnem illius Canonizationem juxta S. R. Ecclesiæ Ritum, & Canonicas Sanctiones venire.*

Verùm hæc Argumenta infirmiora sunt, quam ut propter ipsa denegari fides Testibus allegatis, visque probandi plenè eorum depositionibus possit. Nam Ad 1. Respondetur ex dictis ad Questionem Præliminarem à Num. 12. ex quibus patet 1. Per Decretum Beatificationis finitam fuisse Instantiam, quæ pendebat apud Sedem Apostolicam, consequenter cessasse Suspensionem Jurisdictionis Ordinariæ Archi-Episcopi Limani circa Causam, ut proinde iste vi hujus suæ Jurisdictionis optimo Jure examinare potuerit Miracula, quæ Beatificationi supervenerunt, & hoc tamdiu, quamdiu non fuerunt expeditæ Literæ Remissoriales super Reassumptione Causæ in ordine ad Canonizationem, prout dictum est Num. 13. Patet 2. ex Num. 14. Quòd, etiam si post Beatificationem decretam continuasset habere vim suam Manûs Apostolicæ Appositio, tamen nullitatem Processus in Casu

E e e e 2

præ-

36.

37.  
Dissolvuntur.

presenti inducere non potuisset ob distantiam locorum, & periculum, ne interea pereant Probationes, ob quam causam, ut *Num. cit.* dictum est, receditur à Regulis Juris Communis, & Judici inferiori conceditur Examen Testium, & exceptio Probationum saltem ad informandum Judicem Superiorem; qui ad Causam Manus suas apposuit; cum tali modo absit omnis contemptus Judicis Superioris, ob quem solum juxta dicta *Num. 15.* per Appositionem Manus ejusdem suspenditur Jurisdictio Judicis inferioris. Patet 3. Quod, posita etiam nullitate Processus, ab Archi-Episcopo Limano confecti; nihilominus Jure merito sperari potuerit Gratia Apostolica; quæ illius nullitas sanaretur: idque ex causa, quia ad hunc Processum deventum est impulsu necessitatis; bonâ fide; observatis omnibus; quæ juxta praxim S. Congr. servari debent; ob quam causam ex praxi ejusdem Sac. Congr. Processus, etiam à Judice incompetente confecti; sanari, & Testibus in eo examinatis plena fides adstrui solet; prout ostensum *Num. 17.* & quatuor sequentibus. Cætera, quæ in hoc Argumento in contrarium opponuntur, solutionem accipiunt ex Responsione ad Argumenta, & Rationes dubitandi in eadem Quæstione Præliminari oppositas.

38.

*Ad 2.* Depositio Sanati non est omnino spernenda; nam 1. Quod attinet ad Statum morbi, expressè deposuit, se recordari, quod viderit se vincum ligaminibus, & vinculis, & quod omni modo laboraverit se istis exuere: & insuper dicta hujus Testis de facto proprio circa hoc primum Extremum coadjuvantur per Depositionem aliorum Testium, deponentium de visu circa qualitatem, & effectum morbi; ut adeo, licet minutim non sciat omnia, quæ tempore amentia contigerunt, saltem recorderetur substantia; sicque cum cæteris Testibus plenam mereatur fidem. 2. Quod spectat ad effectum dementiae, inprimis Sanatus ad Interrogatorium, in Processu Apostolico sibi propositum, an illa fuerit cum furore, an cum risu, respondit, fuisse utroque, & omni modo, quamvis majori ex parte cum furore: quæ depositio cum posterior fuerit eâ, quæ facta est in Processu confecto Autoritate Ordinariâ, discordiam nullam arguit; nam discors, aut varius non dicitur Testis ille, qui articulum aliquem magis declarat in Depositione secundâ, quam in prima fecerit.

*Specul. tit. de Testib. §. 1. n. 63. & 64. Farin. de Testib. q. 71. n. 30. & seqq. Rota decis. 63. n. 7. part. 10. recent.*

Sed tunc solum varietas Testi nocet, quando refert se cum incompatibilia,

ut rectè monet Tyndar. *tract. divers. de testib. c. 7. princ. pag. 354.*

& quidem in Substantialibus. Atqui parum ad Substantiam Miraculi refert; an amentia

fuerit cum furore continuo, an cum risu intermixto; licet enim si sit cum risu, à Medicis dicatur minus periculosa, intelligendo de minori vitæ periculo, non tamen est minus rebellis, ac renitens remediis, minusque curatu difficilis, ac aliâ Maniæ species. Imò Cælius Aurelianus redarguit illos Medicos, qui cum Mnasca antiquissimo Scriptore supponunt, quod quando in Maniâ risus, & hilaritas adjungitur, sit signum levioris morbi, cum sit æquæ gravis; supponit enim, quod hæc affectio sit quasi vinculum, & strictura Cerebri, & valorum languiferorum. Solum igitur Maniâ cum risu, cum producat ab humoribus mixtis cum Sanguine, minus vitæ periculum inducit: sed difficultas curationis æqualis est, cum utriusque causa sit adstrictio cerebri, quæ, in quocunque humore actuetur, semper est ejusdem obstinationis, & pertinaciæ, ut notat Paulus Manfredi, in Peritum electus, in sua Relatione super isto Miraculo datâ. Nihil itaque confert ad facilitatem curationis, sive Maniâ cum risu sit, sive cum furore, quando causa illius formalis, & efficiens pertinacissima est, qualem causam in Casu presentis adfuisse demonstrat insuperabilis restitentiâ ad omnia Medicamenta adhibita. Proinde non obstat, quod Sanatus in una sua depositione risus non meminert; nam, ut ex hæcenus dictis patet, circumstantia hæc tanta non est, ut Testis ex se illam referre debuerit.

*Bald. in l. Presbyteri. 8. n. 6. C. de Episc. & Cleric. Cyriac. controv. 407. n. 173. Rota decis. 58. n. 7. p. 9. recent.*

3. De Invocatione, & applicatione Reliquiæ testatur Sanatus in Processu, confecto Autoritate Ordinariâ, quod statim, atque applicata hæc illi est, sibi restitutum senserit perfectum rationis usum: cui consonat ejusdem depositio, facta in Processu Apostolico, ubi, postquam retulit, quæ à Matre, Amita, & Sorore audiverat, subdit, quod applicationem dictæ Reliquiæ in instanti secuta sit gratia perfectæ Sanationis: Unde licet de initio ejusdem applicationis, utpote qui tum mentis nondum compos erat, testari tanquam de proprio visu, & tacto non satis potuerit, quia tamen sibi restitutus, vidit eandem Reliquiam collo suo appensam, potuit deponere tanquam Testis de visu tam circa Invocationem, quam circa Sanationem inde consecutam: quæ depositio, si jungatur depositionibus aliorum, quibus confirmatur Sanatio instantaneè confecta, manifestè concludit non solum Invocationem, & applicationem Reliquiæ, sed etiam ipsam Sanationem miraculosam. 4. Quod Infirmitas biduo ante applicationem Reliquiæ pacificè auscultaverit, quæ sibi dicta sunt de B. Turibio, & de Solennitate in honorem ipsius instituenda, atque responderit, post octiduum se habiturum bene, eidemque Solennitati interfuturum, non

non probat, ipsum jam tunc coepisse redire ad se; quia audire, & auscultare absque furore non est actus repugnans statui amenitium, imò eisdem familiarissimus: consequenter ex hoc argui nequit aliqua iudicii deperditi recuperatio, præsertim in Casu prælenti ubi ex integra ipsius Sanati, & cæterorum Testium depositione liquet, ante applicationem Reliquiæ Infirmum in eodem statu dementiæ perseverasse.

39.

Ad 3. Processus auctoritate Ordinaria factus est solum ad eum effectum, ut in consideratione Miraculorum, per intercessionem Beati patratorum, à Sede Apostolica facilius impetrarentur Literæ Remissoriales: proinde non est mirum, quòd Testes in eo recepti non exposuerint omnes, & singulas circumstantias, quas postmodum exposuerunt in Processu, in vim Literarum Remissorialium, auctoritate Apostolica, cum exquisitissimis Interrogatoriis Reverendissimi Promotoris confectis. Hinc magis spectanda sunt dicta Testium in Examine solenniter factis, quam in præcedenti minus solenni, per tradita

à Bald. in l. nullum. n. 3. C. de testibus. Gabr. Commun. concl. l. 7. concl. 30. n. 1. S. Antonin. Summ. p. 3. tit. 9. c. 11. §. 2. fin. pag. 133. col. 3. Clar. præx. crim. §. fin. q. 53. §. secundus est Casus. Farin. de testib. q. 66. n. 151. & 200.

Neque per hoc Testis existimatur sibi esse contrarius, qui in secundo Examine plus dicit, quam dixerit in primo.

Butr. in c. 1. n. 11. de Offic. Leg. Alex. cons. 64. n. 11. lib. 2. Dec. cons. 163. num. 15. §. & pro fundamento. Rota decis. 47. n. 14. p. 1. decis. 58. n. 7. p. 15. recent. & decis. 618. n. 6. coram Bich. & in Roman. pecuniar. 21. Jun. 1694. n. 7. §. tum etiam.

Præsertim si dicta in posteriore Examine famulantur dictis in priori.

ut post Roman. cons. 505. n. 1. tradit Beltram. ad Gregor. decis. 230. n. 11. Gaill. l. 2. obs. 104. n. 4. Rota coram Nioto decis. 22. n. 9.

Nullò enim Jure cautum est, ne Testis, sub Judice ad interrogata respondens, plus dicat in secundo Examine, quam dixerit in primo ad perpetuam: imò id sæpe evenit, quòd in posteriori solenniter factis prolixiores sint, quam in primo minus formali, atque hoc, vel quia in isto super iis, quæ postea addit, à Judice interrogatus non fuit, vel quia primum postea memoria eorum ipsi occurrat: ut proinde ista addens in secundo Examine potius latius se explicare, quam variare, sibi contradicere, aut se corrigere dicendus sit.

Corn. cons. 27. n. 2. vol. 3. Farin. de opposit. contr. dict. test. q. 66. n. 37.

Atque hinc 1. Non obstat, quòd Testes in primo Examine solum unicam dederint causam, nempe intensissimum Studium, ob

quam Infirmus noster in amentiam lapsus sit, in secundo verò addiderint alteram reprehensionis, à P. Rectore acceptæ; nam, ut Farin. Num. 37. cit. notat, de variatione argui Testis non potest, qui in primo dicto unam duntaxat causam suæ depositionis assignavit, in altero duplicem. Et esto, vitium discordiæ in hoc duplici dicto Testium evitari non posset, discordia tamen ista attendenda non esset, quippe quæ juxta vulgatam Regulam solum nocet, quando verifatur circa ea, quæ tangunt Substantiam.

Farin. de testib. q. 65. n. 16. Rota decis. 558. coram Gregor. item decis. 621. n. 5. p. 18. recent. cum S. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.

atque in Probatione Miraculorum notat

Card. Laur. in 3. sent. tom. 4. D. 20. de Mirac. art. 25. §. 1. n. 1684. pag. 631.

ubi ait, *Debent pariter contestari ablationem status præcedentis defectuosi subitò secutam: quod si hæc deponendo sint contestes, & varient in aliquo accidentali, non officit contestationi: & ideo si substantiam facti quoad utrumque extremum probent, sufficit.* Atqui in Casu præsentis Testes quoad substantiam facti circa utrumque Extremum conveniunt (nam in utroque Examine concorditer omnes deposuerunt, sanatum fuisse Maniacum, vidisse se eum catenis, & vinculis adstrictum, nulla remedia profuisse, post applicationem Reliquiæ se illum vidisse sanæ mentis) ad quod parum refert, ex quo capite amentia prius inducta sit. Igitur non esset curandum, etiamsi circa hanc causam aliqua inter Testes contradictio intervenisset, sed tanta hæc discordia habenda foret pro accidentali duntaxat.

2. Non obstat, quòd Testis primus dixerit in Processu, instituto potestate Ordinaria, Miraculum hoc personallissime transiisse per manus suas, cum tamen ipse Reliquiam non applicarit, imò eo applicationis, & Sanationis instantanee contestatæ tempore non fuerit præsens Ægrotis; nam in primis hoc iterum ad accidentalia Miraculi duntaxat pertinet, quippe ad cuius substantiam parum refert, à quo Reliquia sit applicata: deinde optimo Jure dicere potuit, Miraculum hoc transiisse per manus suas; quia ipse hanc Materi Infirmi, ut ea illam huic applicaret, tradidit, & juxta Regulam Juris, quod quis per alium facit, censetur per seipsum fecisse: denique adfuerunt alii Testes, quibus proinde Depositi illius est conformanda.

3. Non obstat, quòd Testis secundus dixerit, Infirmum quolibet circiter decennio fuisse visitatum à Medico in eum finem, an ex remediis applicatis spes aliqua Salutis affulgeret, quam spem, ut idem Testis se explicat, solum concepit Medicus in Casu, si novum accidens superveniret; quod proinde exploraturus visitationem Ægroti continuavit. Ex quo

E e e e e 3 colli-

colligitur, Medicum iudicasse absque novo accidenti nullam spem superfuisse in opportunitate Medicamentorum: & ideo hæc circumstantia, etsi proposita fuisset in secundo Examine, nihil tamen obfuit Miraculo.

40.

*Ad 4.* Dicta Testium omni possibili modo conciliari debent, ut contradictio evitetur, ex communi Regula,

sumpta ex *c. cum tu. 16. de testib. & post Abb. Butr. Felin. & alios Canonistas notat ibid. Barb. n. 3.* Concordant *Crot. Vol. divers. de testib. p. 6. n. 338. §. primò igitur. Cyriac. contr. 407. n. 147. & seqq. maximè 149. & 158. Rota decis. 30. num. 10. coram Gregor. item decis. 177. n. 8. p. 9. & decis. 220. n. 13. 14. & 15. p. 17. recent. & in Roman. pecun. 22. Jun. 1692. n. 6. §. secundo notari. coram Muto.*

Idque procedit etiam in probatione miraculorum, ut firmant

*Audiores Rotæ in Relatione Canonizationis S. Pii V. p. 4. tit. de Mirac. §. 3. Roman. cons. 7. num. 8. & 9. Aretin. cons. 7. num. 1. & 2. Rota decis. 290. n. 7. p. 4. recent.*

Prima apparens Contradictio, in hoc Argumento opposita, tollitur distinguendo inter tempora; soror enim Sanati, quæ est Testis 4. testatur, super Ægrotum impositum fuisse pileum in principio Morbi, quo applicato, aliquantisper sedatus fuerit furor, sed hunc paulò post acrius rediisse, donec applicatâ aliâ illustriore Reliquiâ ejusdem Beati, Infirmus omnino, & subito convaluerit. Et de hac secunda applicatione intelligendum est testimonium Matris, & aliorum testium, qui dicunt, post impositam Reliquiam Beati Infirmum instantaneè convaluisse. Igitur depositiones testium conformes sunt inter se, & solùm depositio Sororis à Reliquis differt, quòd isti de impositione pilei mentionem non faciunt, fortè ideo, quia ad ejus contactum sanitas mentis consecuta non est; soror autem utriusque Reliquiæ applicatæ mentionem faciat: in quo proinde Testis ista non contrarium, sed plus aliquid, quam reliqui Testes, asserit, ac proinde depositio ipsius ex capite contrarietatis rejicienda non est,

ut post *Butrio & Alex. consil. 64. n. 8. vol. 2.* firmat *Rota decis. 351. coram Ludoviso*, ibi: *Prout non sunt contrarii, nec varii testes, si unus deponat plus, quam alter testis.*

Similiter 2. Non est vera Contradictio in hoc, quòd Testis 4. dicat, ad pluries factam applicationem Pilei Beati Infirmum semper habuisse melius, reliqui autem deponant de amentia non interrupta; nam optimè simul stant interrumpi furorem, & continuari amentiam: imò hoc consuetum amentibus est, quippe in quibus non semper effervescit furor. Cur autem ad applicationem pilei

non fuerit secuta sanitas; arcanum est Divinæ Omnipotentiae, quæ operatur, ut vult, & sicut in Lazaro voluit expectare illius mortem, ut per ejusdem resuscitationem illustrius appareret sub humana carne latens Christi Divinitas, ita videtur expectare voluisse festivitatem, in honorem B. Turibii institutam, ut dilucidior fieret probatio Sanctitatis, & Gloriæ, quæ iste in cælo fulget, simulque cælum suomet calculo approbaret Romanæ Sedis iudicium, quo ille Beatorum Catalogo adscriptus est. Dici etiam potest, quòd ad pilei contactum sedata, non verò sublata Mania in nostro Infirmo fuerit, ut iudicium caperetur; quòd operaturus Beatus esset sanationem perfectam opportuno tempore, si scilicet majori cum fervore, & fiducia, & tum, quando Beatificationis ejus Solennitas celebrabitur, auxilium illius imploraretur. Æquè facile combinari potest tertia apparens Contradictio; nempe Didacus, Frater Luciæ, Matris Sanati, huic Reliquiam tradidit, ipsa autem illam Filio applicavit. Deinde, esto, sit in hoc vera aliqua Contradictio, ea non concernit substantiam Miraculi, quippe cujus vis non in persona tradente Reliquiam, sed in hujus applicatione, in quo conveniunt Testes omnes, consistit: ut proinde partim referat, à quo Reliquia ista tradita fuerit. Non magis attendenda est quarta Contradictio, objecta in Teste tertio, nam & ipsa accidentaliter est, & Miraculum consistit in ipsa prodigiosa sanatione, non in verbis, quibus Infirmus restitutionem sanitatis sibi factam testatus est.

*Ad 5.* Patet ex Actis, plures haberi testes oculos circa utrumque Extremum in Processu, Autoritate Apostolica instituto. Nam 1. Testis primus, licet quoad Invocationem, & applicationem Reliquiæ sit tantum de auditu, tamen quoad Statum morbi, & subsecutam sanationem est verè testis de visu: quoad statum morbi quidem; quia deponit, se replicatis vicibus per decursum anni illius visitasse ægrotum, & sufficientissimè agnovisse, malum in ordine naturali irremediabile esse: quoad sanationem autem; quia paulò post ex effectibus pleni iudicii de visu testatur, quòd sanatus ne minimum quidem indicium Maniæ prioris dederit. Neque obstat, quòd ipsi actui Sanationis præsens non fuerit; quia sufficit, quòd testetur de sanitate, à se proprio visu perceptâ intra tale tempus, intra quod illa, consideratis circumstantiis, contingere naturaliter non potuisset. Æquè parùm obstat, quòd non continuò fuerit præsens Ægroto; nam ut testis aliquis circa Miraculum Sanationis oculus dici possit, non est necesse, ut continuò infirmum viderit, sed satis est, quòd fuerit præsens Extremis Miraculi.

ut docet *Gloss. in c. nihilominus. 3. q. 9. §. simul. Castellin. de Canoniz. Sanct. q. 7. §. quarto. Contelor. simil. tract. c. 18. n. 14. & duob. seqq. & notant Audi-*

41.

Auditores Rotæ in Relationibus Canonizationum S. Bonaventuræ p. 2. art. 4. *fn.* B. Andrea Avellini *Mirac.* 4. S. Cajetani Thianæi *Mirac.* 3.

Imò non est necesse ex communi DD. ut quivis Testis deponat de utroque Extremo, sed sufficit, si duo deponant de uno, & duo alii de altero Extremo. Hinc non obest, si verum esset, quod opponitur 2. Quòd Testis tertius tantum sit de visu super secundo Extremo. Sed neque hoc verum est; fuit enim domesticus, quem proinde Status Morbi latere non potuit: atque adeò oculatus dici potest etiam quoad primum Extremum: circa applicationem Reliquiæ fuit de auditu, scilicet à Sorore Sanati: quoad secundum Extremum autem indubitato est de visu; quia, licet ipsi actui sanationis non interfuerit, tamen paulò post domum rediit, & vidit Infirmum ex integro sanatum. Similiter 3. Testis 5. utpote Medicus Curæ, testis est oculatus quoad primum Extremum; quoad Invocationem, & subitam sanationem est quidem testis de auditu tantum, ipsius tamen dictum, junctum aliis testibus oculatis, robur probationis auget. Idem dicendum 4. de Teste 6. nam ex Processu constat, eum esse Testem de visu quoad secundum Extremum, scilicet sanationem Miraculosam: de Invocatione, & applicatione Reliquiæ testatur ex auditu à Domesticis videntibus, quod proin Testimonium vim suam habet, præsertim postquam duo Extrema abundè probata sunt; nam tunc pro Invocatione leviores probationes sufficiunt. Non minus 5. Testis 33. est Testis de visu respectu Invocationis, & Sanationis, prout ex depositione illius constat: neque refert, quòd non dicat expressè, se testem esse oculatum; quia sufficit, si hoc colligi possit ex circumstantiis ab ipso enarratis. Denique 6. Clarè patet, Testem 36. esse de visu respectu Sanationis; ait enim in Processu, Ordinariæ auctoritate instituto, se post duos dies vidisse Infirmum, gestantem Reliquiam appensam collo, quietum, & plenè sibi præsentem. Neque obest, quòd in Processu instituto auctoritate Apostolica, deponat de solo auditu; nam cum deposita in Processu, factò potestate Ordinaria, adminiculum saltem præbeant, posteriores depositiones, exceptæ in Processu Apostolico, intelligendæ, & explicandæ sunt secundum dicta in Processu factò ex potestate Ordinaria. Porro ex hæcenus demonstratis patet, Miraculi præsentis, & Relevantiæ illius probationem principaliter non fundari in Testibus auctoritate Ordinaria examinatis, sed in depositionibus Testium examinatorum in Processu Apostolico, consequenter omni ex parte legitimis: ex quibus proinde cum habeatur sufficiens probatio, pro adminiculo saltem servire possunt Testes, auctoritate Apostolica non repetiti, etiam dato, & concessò, quòd per se

soli non sufficerent. Igitur illi non omnino rejiciendi sunt, præsertim cum Testes isti plerique sint nobiles, & qualitate conspicui, atque omnes innatà sinceritate Testimonium perhibuerint: qui proinde censerì non possunt decedere voluisse cum perjurio in propriæ animæ damnationem in factò tam arduo, universalem Ecclesiam respiciente.

*L. fn. C. de Testib. ibi: Sin autem ab hac luce omnes subtracti sint, tunc necessitatem ei imponi fide Scripturæ approbatà, in qua depositiones eorum referuntur, eas quasi factas accipere.* Gratian. *discept. forens. c. 429. num. 12.* Foller. *prax. crim. §. demum repetantur. n. 6.* Gonzal. *in Reg. 8. Cancell. gloss. 9. annot. contr. nullit. n. 76.* Rota *decis. 1406. n. 3. coram Seraph.*

Est autem maximè spectanda qualitas Testium, ita hortante Imp. Adriano

*L. 3. §. ideòque. ff. de testib. ubi, Tu magis, inquit, scire potes, quanta fides habenda sit testibus, qui, & cujus dignitatis, & cujus astimationis sint, & qui simpliciter visi sunt dicere veritatem, ut supplet Gloss. ibidem, & in can. si testes. 1. caus. 4. q. 2. princ. habetur; non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad testimonia, quibus lux veritatis assistit.*

Accedit maxima distantia Civitatis Limanæ, & defectus ibidem hominum peritorum circa hujusmodi negotia, ob quam causam major facultas competere Archi-Episcopo Limano censerì debet in conficiendis probationibus circa Miracula Servorum DEI.

ut post Franciscum Caraseum *Comment. Leg. recept. Regn. Castell. c. 5.* plenè firmat Contelot. *de Canoniz. Sanct. c. 5. per totum, & signanter n. 7. & seqq.* Matta *simili tract. p. 4. c. 17. n. 7.*

Ex quorum doctrina in Casu tantæ distantie non solum accessoria, sed plena probatio insurgit ex Testibus inhabilibus, & aliàs non probantibus, quando adest difficultas probationis.

*Ad 6.* Plura hic cumulantur, quæ tamen Miraculi rationem non tollunt. Nam 1. Ut testis de visu quis esse censeatur, sufficit, si constet, eum esse domesticum. Neque obstat, quòd expressè non reddat rationem visus; nam, si referat ea, quæ cadunt sub rationem visus, alià ratione non reddita, censetur de visu.

*Bald. in c. fn. in fn. de Juram. calumn. ubi: Si testis, inquit, dicit, quòd Titius occidit Sejum, probat, si non est interrogatus de causa scientia; quia veritas non est aliud, nisi res de visu percepta, & in memoria retenta: & clarius in c. sicut. n. 5. de sent. & re judic. ibi: Tamen, si non interrogatur, præsumitur scire per visum, & ideo probat; quia in nudo Testimonio semper præsumitur scire per visum.* Felin. *in c. cum causam. n. 7. de testib.* Farin. *de testib.*

*testib. q. 70. n. 109. Rota decis. 407. n. 4. coram Cerro. decis. 236. n. 7. p. 6. decis. 95. n. 6. p. 15. recent.*

quod etiam procedit in Causis Canonizationum,

teste Contelor. *de Canoniz. Sanct. c. 25. n. 72. & probarunt Auditores Rotæ in Relatione B. Josaphat Polocensis p. 2. §. ad secundam.*

Accedit, quia non desunt Testes, qui dicti sui rationem expressam dant: qualis est Testis primus, qui pro ratione Miraculi in Examine, potestate Ordinaria instituto, reddit, quod post applicationem Reliquiæ statim Infirmus dixerit, se jam stare melius; nam hæc ipsa Responso Infirmi probat miram, & subitam recuperationem Judicii, sine quo agnoscere ille non potuisset, quod bene se habeat. 2. Supervenientia Crisium, aut usus Medicamentorum, quibus naturaliter solvi amentia potuisset, probari debet ab eo, qui asserit ex iisdem potuisse contingere Sanationem: consequenter à Postulatoribus probanda non est, quando, ut hic, consistit in Jure eam allegantis.

*Abb. in c. bona. 14. de Elect. Salicet. in l. 2. n. 15. C. de Jur. Emphy. Bald. in l. in contrahibus. §. illo. C. de non num. pecun. Surd. conf. 86. n. 1. & 2. Mascard. de Probat. concl. 1027. n. 7. Herculan. de Negativ. n. 54. §. quarta Regula. Rota. decis. 889. n. 4. & decis. 260. n. 4. coram Penna, & decis. 725. p. 6. recent.*

Sufficit ergo, si Testes, super Miraculo adducti, absolute negent, supervenisse Crisim, & applicata fuisse alia Medicamenta, ex quibus Sanatio naturaliter potuisset consequi. Imò hoc ipso satis probatum fuisse censetur, non supervenisse Crisim, nec applicata fuisse Medicamenta, quod Testes domestici, judicialiter de hoc auditi, deponant de Negativa; Crisis enim dat signa extrinseca,

ut docet Galen. *l. 2. de dieb. Decretor. & Paul. Zacch. qq. Med. Leg. tom. 2. lib. 10. n. 6. 10. & duobus seqq.*

ubi de Crisi inquit, *Est enim certamen natura cum morbo: ideo sunt motus vehementes, & conspicui, qui latere non possunt; unde tales motus plura signa necessario procedunt.* Deponens autem super Negativa, cujus Oppositum cadit sub sensum visus, satis probasse illam censetur absque alia ratione red-dita,

ut notant Aretin. *in c. cum causam. n. 17. de testib. Paris. conf. 162. n. 14. lib. 4. Farin. de testib. q. 66. n. 229. Rota. decis. 243. n. 1. & 6. p. 6. decis. 186. n. 15. & decis. 380. n. 16. p. 11. decis. 342. n. 12. p. 14. decis. 95. n. 15. recent. & decis. 407. n. 4. item decis. 508. n. 1. coram Cerro.*

Præcipue autem negativa Crisium æstimanda est, quando, ut in præsentis, est asserta à

Medico curæ; quia Medici in cura Infirmi nihil diligentius inquirere solent, quam evacuationes, caterisque quotidianis effectus tam naturæ, quam Medicamentorum, ut ad eorum normam opportuna præscribant remedia. Neque obstat, quod Medicus ipse fateatur, se per sex Menses adstitisse Infirmo, utique ad præbenda ei Medicamenta; nam, ut Testis 23. explicat, primis tribus mensibus quidem ei pro cura adstitit, reliquo autem tempore, cum videret Medicamenta nihil proficere, eundem visitavit ad curanda vulnera, quæ sibi Infirmus catenis, quibus vinciebatur, infixerat; & hoc satis patet ex ejus verbis, ibi, *Propter alias infirmitates, & mala, quæ resultabant ex amentia, & furore.* 3. Quoad substantialia Miraculi negatur Testes esse singulares; nam utrumque Extremum, ut vidimus, plurium Testium de visu assertione probatur. Invocatio pro Miraculo obtinendo ex communi sufficienter probaretur per unum Testem; consequenter sufficeret assertio Sororis Sanati, deponentis de visu, & auditu proprio; unde cum præter illam de ea deponant Mater, & insuper tres alii Testes, probatio hujus dici debet superabundans. 4. Variatio Testium, & quod in Processu Apostolico non omnes circumstantias referant, quas retulerunt in Processu, instituto Autoritate Ordinariæ, ob lapsum temporis excusabilis est; nam iste constructus est Anno 1684. ille autem 1690. Nemo enim sibi polliceri potest integram memoriam omnium circumstantiarum, cum quibus factum aliquod ante sex, aut septem annos evenit.

Certò Justinianus

*L. 2. §. si quid autem. C. de veter. Jur. enucl.*

*Memoriam, inquit, omnium habere, & in nullo penitus peccare, Divinitatis magis, quam mortalitatis est.* Et hinc Auditores Rotæ

in Relatione Canonizationis S. Hyacinthi *c. 3. de Miracul. §. altera difficultas,*

*Discordantia, inquit, testium in tempore (idem dic de aliis circumstantiis non substantialibus) non attenditur ex verisimili oblivione.* Adde, quod apparens illa discordantia Testium, ut supra Num. 40. vidimus, facile conciliari possit. Et talis est variatio circa qualitatem Reliquiæ, ubi ex depositione Sororis Sanati, quæ, quia semper Ægroto adstitit, plus scire potuit de iis, quæ circa ipsum gesta sunt, quam alii Testes, liquet, duplicem isti applicatam esse Reliquiam Beati, primò Pileum ipsius, & tum aliam, post cujus posterioris applicationem demum consecuta sit Sanitas undequaque perfecta, in quo consentit cum aliis Testibus, consequenter tollitur contrarietas. Quod 5. Loco opponitur circa defectum Instantaneitatis, solvetur infra sub Dubio 3. Quoad ultimum, ubi re-quiruntur

quiruntur probationes majores, distinguendum est, an agatur de Canonizando aliquo solemniter jam antea Beatificato, & adscripto in Martyrologio, ante cujus Beatificationem adhibitæ sunt omnes diligentia ad effectum utrumque, scilicet Beatificationis, & Canonizationis necessaria; an verb agatur de aliquo, qui Beatificatus tantum est per simplex Decretum, neque adhibitæ sunt dictæ diligentia. In hoc posteriori casu, ut ad Canonizationem solemnem procedi possit, magnâ circumspessione, nec perfunctoriè procedendum est, cum Causa ista sit ex majoribus, quæ inter Christianos proponi possunt.

Gonzal. in c. 1. de reliq. & venerat. Sanct. n. 9.

Unde non confuevit Ecclesia aliquem solemniter Beatificare, aut non solemniter Beatificatum Canonizare, nisi prius ipsi constiterit de Sanctitate, Miraculis comprobata, quippe quæ, seclusâ Revelatione Divinâ, non potest certò cognosci, nisi per evidentiam Miraculorum,

ut considerant relati per Contilor. de Canoniz. Sanct. c. 10. n. 2.

Aliud est in Casu, ubi agitur de Canonizatione illius, qui jam antea solenni Ritu inter Beatos relatus, & Martyrologio adscriptus est, & adhibitæ in Beatificatione ipsius sunt omnes diligentia ad effectum non solum Beatificationis, sed etiam Canonizationis necessaria; nam tunc minus aliquid requiritur: imò in hoc Casu cessaret quodammodo Miraculorum necessitas; quia videtur dubitari non posse de ita Beatificati in Cælis Gloria.

Castellin. de certit. Glor. Sanct. c. 2. p. 2. pag. 69. col. 1. n. 9. & punct. 4. s. 4.

ubi, Aliquando, inquit, pramitti solent diligentia necessaria simul ad utrumque effectum, Beatificationis scilicet, & Canonizationis, quo casu non sunt necessariò repetenda, sed ad effectum quoque Canonizationis sufficiunt. Concordat

Contelor. ad Castellin. tract. cit. q. 3. art. 2. n. 4. Gonzal. in c. 1. fin. de reliq. & vener. Sanct. & Pignatell. tom. 5. consult. 2. 1. per totam, & præsertim n. 5. juncto n. 10.

tibi dicit, quòd in Causis quorundam Beatorum non solum de Miraculis ex integro disputetur, sed etiam de Virtutibus; quia cum illorum Processus non formiter, nec servatis servandis, fuerint facti ante concessam Beatitudinem, ideo ex integro examinari debent: secus autem in Beatificatis formiter: quia in iis præcesserunt Processus super Sanctitate, & Miraculis &c. Quibus minimè aduersantur Decreta Generalia Urbani VIII. ubi, Pro habenda certiori veritate Virtutum, Sanctitatis Vita, & Miraculorum Servorum DEI, pro quorum Canonizatione instatur, mandavit Sanctissimus, non procedi in futurum ad Canonizationem alicujus, qui aliqua Veneratione, vel

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. 1.

titulo Beati sit decoratus, nisi prius in eadem S. Congr. coram Sanctitate sua fuerit iterum per Cardinalem in ordine Ponentem facta plena, & distincta Relatio, non modo eorum, quæ in Processibus, vel aliis Scripturis continentur, & quæ per Summos Pontifices intuitu ipsius Venerationis elargita fuerunt; verum etiam eorum, quæ supervenerunt post concessam eis Venerationem, de quibus constare possit ad hoc, ut ex prædictis omnibus valeat Summus Pontifex deliberare, an sit procedendum ad Canonizationem. Nam Decretum hoc non loquitur de Servo DEI solenni Ritu Beatificato, sed de eo, qui secundum antiquum morem absque rigoroso Examine ad intercessionem Regum, & Principum aliqua Veneratione, vel titulo Beati decorati sunt. Insuper Decreta ista solum exigunt Relationem eorum, quæ supervenerunt, à Cardinali ponente faciendam, nullâ impositâ necessitate Probationum Juridicarum. Has Probationes Juridicas exigit quidem Decretum Clementis IX. in Argumento hoc allegatum: sed quòd etiam ipsum loquatur de non solemniter Beatificatis, patet ex eo, quia Decretum hoc fuit editum occasione B. Margaritæ de Cortona, quæ non fuerat solemniter Beatificata, sed tantummodo Indultum habebat.

Ex his omnibus colligo, & ad Dubium Num. 31. propositum infero, pro hoc Miraculo adesse sufficientem Probationem, quæ fidem plenam, quanta requiritur, facere possit. Nam imprimis, antequam Servus DEI Turibius inter Beatos recenseretur, adhibitæ sunt omnes diligentia, necessaria simul ad utrumque effectum, Beatificationis scilicet, & Canonizationis, ut patet ex Decreto Beatificationis, ubi dicitur, quòd Sacra Congregatio, coram Pontifice coacta, unanimiti consensu censuerit, constare etiam ad effectum Canonizationis omnibus numeris. Igitur in Casu hoc nostro agitur de Servo DEI sollemniter Beatificato. In hoc autem minores Probationes sufficiunt, ut procedi possit ad Canonizationem, ut patet ex dictis Num. præc. 2. In iisdem sollemniter Beatificatis juxta dicta eodem Num. nova Miracula ad superabundantiam requiruntur pro solenni Canonizatione. Igitur sufficient etiam Miracula examinata, & approbata à locorum Ordinariis, quippe quibus, quando agitur de aliquo sollemniter Beatificato, & Martyrologio adscripto, potestas de Jure competit non solum probandi, sed etiam approbandi Miracula, ad intercessionem ipsius patrata, etsi S. Sedes Manum appo-

fuerit, ut fusc Card. Laur. D. 20. art. 26. n. 2227. Matta de Canoniz. Sanct. c. 29. n. 10. p. 4.

ex ratione, quia in publicatione Miraculorum alicujus jam sollemniter Beatificati nullum est periculum falsi Cultus: unde nihil vetat, quin ea publicentur, talique Pacto augeatur ejusdem Cultus. Igitur poterunt

F f f f iidem

43.  
Resolvitur  
Dubium.

iidem Episcopi etiam legitimās probationes recipere ad effectum, ut ex iis S. Sedes procedere ad Canonizationem possit. Imò quòd defacto Processus, Authoritate Ordinaria confecti, inserviant pro Probatione, in genere, juncto Processu factò Authoritate Apostolica, constat ex praxi: & sic servatum fuit

in Canonizatione S. Caroli Borromæi, teste Contelor. *de Canoniz. c. 23. §. secundo.* in Relatione S. Andrea Corfini apud Lezan. *tom. 4. conf. 1. n. 2. 12. §. nos in hoc articulo.* in Canonizatione S. Thomæ de Villanova post Contelor. *de Canoniz. pag. 705.*

Quin ex solo Processu, Ordinariâ Authoritate confecto, plures Canonizatos fuisse, atque indies Canonizari posse, probat

Molfes. *conf. 46. à n. 21. usque ad 42.*

3. Causa præsens specialiter est favorabilis; agitur enim de Canonizando Archi-Episcopo Regni Peruani, quod Regnum ipse Apostolicis laboribus suis excoluit, ut adeò Christiana Religio non modicum augmentum in iis remotissimis oris receptura sit, si Indi Populi inter Cœlites adscriptum audiant suum Beatum Pastorem: Unde aptari optimè potest, quod Auditores Rota

in Relatione Canonizationis S. Hyacinthi *c. 3. de Miracul. §. in hac causa.*

ponderarunt, nimirum quòd Miracula, pro Canonizatione ejusdem proposita, patrata sint in Regno Poloniæ, consequenter, cum ibi Hæretici Catholicis permixti degant, non adeò exacta eorum requiratur Probatio, ex ratione, quia, ubi adest Hæresis, Miracula facilius admittuntur ex levioribus etiam Probationibus ad ampliationem Fidei Orthodoxæ: quæ ratio magis urget in Indiis, ubi sunt quamplurimi adhuc Gentiles. Verùm non opus est ex his præsidii in Casu nostro præsidium quærere; nam 4. Ut ex *Num. 41.* constat, Miraculum præsens plenissimè probatum est, quippe pro quo non duo tantum (qui aliàs juxta omnes sufficerent) sed plures, etiam in Processu Apostolico auditii, Testes deponunt, ut adeò Probatio habeatur superabundans.

**44.** DUBIUM 2. *Utrum in hoc Miraculo*  
 Dubium 2. *sufficiens constet de Instantaneitate Sanationis?* Rationes dubitandi sunt 1. Quia super hac præcipuè deponunt duæ Mulieres, sc. Soror, & Mater Sanati, quæ proinde esse non possunt in re tanti momenti idoneæ Testes, præsertim posterior, quippe quæ audita tantum est in Examine instituto Authoritate Ordinaria, postquam Sedes Apostolica Manum jam apposuerat: consequenter solum apta est ad faciendum adminiculum. Igitur manifestè adest Probatio sufficiens Instantaneitatis; nam unus Testis adminiculatus plenam Miraculi Probationem non facit in Causis Canonizationum, teste Card. Laur. in 3. *Sent. tom. 4. D.*

Rationes  
 Dubitandi

20. *de Mirac. art. 25. §. 4. n. 1121. & seqq.*

sed requiruntur saltem duo Testes de visu in essentialibus contestes,

ut notat idem Card. *l. cit. §. 2. n. 1077.*

Imò

2. Defectus Instantaneitatis clarè habetur ex Teste 36. Fratre Sanati, qui in Examine, instituto Authoritate Apostolica, tribuit recuperationem Sanitatis octavo diei post applicationem Reliquiæ: quod ipsum

3. Clariùs adhuc confirmatur ex depositione primi Testis, ex qua habetur, quòd Infimus pedetentim, non statim sanatus sit: & hoc

4. Suadet circumstantia appositionis Reliquiæ, & Invocationis Beati; fuit enim cœpta octo diebus priùs, quàm sanatio contigit, intra quod spatium, quoties Ægro nominabatur B. Turibius, melius se habebat, sed non sanabatur, ut deposuit Testis quartus Authoritate Ordinariâ.

Verùm hæc Argumenta nituntur falso supposito, consequenter Instantaneitatem non evertunt. *Ad 1.* Sanationem statim contigisse, atque Infirmo applicata fuit Reliquia Beati, probant omnes undecim Testes. Et esto, Probatio Instantaneitatis habeatur tantum ex depositione duarum istarum Mulierum, tanquam Testium de visu, illa nihilominus integra erit; nam Sexus infirmitas illis non obest, quin possint esse Testes idoneæ, si alia requisita habeant: proinde ex hoc Capite in Causis Canonizationis repellere nequeunt,

ut cum aliis notat Card. Laur. *art. 25. cit. n. 1076.*

46. *Dissolutur.*  
 sed etiam per ipsas Miracula concludenter probari possunt, teste Matta *de Canoniz. Sanct. p. 4. q. 17. n. 12.*

Similiter non obest, quòd Mater, utpote præmorta, non potuerit audiri in Examine, instituto Authoritate Apostolica; nam, ut ex *Responsione ad Questionem Preliminarem Num. 12. & seqq.* patet, etiam Testes, Authoritate solum Ordinaria recepti, in circumstantiis Casus præsentis vim probandi integram habent. Et esto, servire tantum pro adminiculo possint, bene tamen depositioni Sororis, quam constat esse de visu respectu totius Miraculi, conjungi potest depositio Matris ad perficiendam Probationem; idque juxta naturam adminiculorum, quæ conjungi solent, quando præcedit aliquis Probationis gradus, ad effectum supplendi Probationes, per ea, quæ notant

Gabr. *comm. concl. de Probat. concl. 1. princ. Farin. conf. 10. n. 16. lib. 1. & conf. 120. n. 22. Vermigl. conf. 266. n. 5. Conciol. refol. crim. de Adminic. refol. 2. n. 1.*

Quod præcipuè locum habet in Casu præ-

senti,

fenti, ubi præter Sororem Sanati pro Instantaneitate Sanationis pugnant præterea alii Testes, pariter auditi in Processu, Autoritate Apostolica instituto.

47. Ad 2. Testis 36. dum dicit, Maniacum octavo die bene se habuisse cum Iudicii plenitudine, non excludit subitam recuperationem usus rationis factam statim, ac illi admota est Reliquia Beati, sed exprimit octavum diem, habito respectu ad verba ipsius Maniaci, & ad certitudinem dictæ recuperationis, quippe cujus perfectio colligi non poterat, nisi post aliquot dierum decursum, cum hoc morbo affectis solenne sit habere quandoque lucida intervalla. Unde ejus dictum non est incompatible cum dictis aliorum Testium, qui asserunt, Iudicii recuperationem contigisse in ipso actu applicationis Reliquiæ: quibus proinde dictum hujus Testis 36. conformandum est, ex notissima Regula, quod Testes omni possibili modo, & interpretatione sint concordandi, ut probent, etiam per suppletionem verborum.

Rota decis. 745. n. 7. & 8. p. 18. recent. cum aliis pluribus, qui hoc etiam ad Causas Canonizationis extendunt. Imò idem ipse Testis 36. in Examine, instituto autoritate Ordinaria, aperte dicit, Infirmum in eodem ipso Instanti, quo imposta est ipsi Beati Reliquia, stetit quietum, solum fuisse à vinculis, respondisse apposite ad omnia, quæ interrogabatur, & ita quidem, ut omnes, qui primò illum Maniacum viderant, & postea conspexerunt post applicationem Reliquiæ sic restitutum, confessi fuerint, eandem Sanationem fuisse miraculosam: unde utraque depositio combinanda est ita, ut restitutio facta sit quidem in instanti, executio verò eorum, quæ idem sanatus promiserat, nempe se Solemnitati interfuturum, fuerit facta die octavo post applicationem Reliquiæ.

48. Ad 3. Eadem est Responsio; nam hic ipse Testis 1. autoritate Ordinaria examinatus, ait, quod in continenti cognoverit meliorationem, quod indicat, malitiam morbi in instanti fuisse sublatam: consequenter, cum melioratio hæc facta fuerit absque Crisi, & medicamentis, ex ejus depositione, etiam posito, quod melioratio hæc successu temporis augmentum acceperit, constat, Sanationem hanc Miraculosam fuisse; *sufficit enim in instanti fuisse sublatam malitiam morbi, qua naturaliter tolli non poterat, licet effectus perfectæ sanitatis successu alicujus temporis subsequi videatur,*

ut ait Contelor. de Canoniz. c. 17. n. 14. Imò, etsi Testis iste expressè diceret, sanationem contigisse nonnisi successivè, hoc tamen illius dictum probationem Instantaneitatis perfectam, quæ habetur ex sex aliis testibus de visu, & quatuor de auditu videntium non everteret, ex certo Juris Axiomate, quod standum sit majori testium numero, R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

relictis paucioribus, testantibus de contrario,

Rota decis. 369. n. 65. p. 9. recent. & plena probatio abforbeat semiplenam. Gemin. conf. 27. princ. & n. 11. Socin. Sen. conf. 270. n. 3. libr. 2. Rot. decis. 692. n. 3. & 4. coram Coccin.

Unde multò minus unicus testis, etiamsi reputandus esset contrarius, destruere poterit probationem habitam ex tot aliis testibus, quibus proinde, & non dicto unico testi est deferendum.

c. in nostra. 32. de testib. Rota decis. 200. n. 22. coram Alex. VIII. decis. 58. n. 14. p. 15. recent.

Proceditque hoc etiam in Causis gravissimis, & criminalibus

Can. testes. 4. q. 2. Gramm. vot. 2. n. 17. Farin. conf. 6. n. 3. lib. 1. & de testib. q. 62. limit. 3. n. 309. & seqq.

Et quòd dictum unius testis nequeat prostertere dicta plurium, notat

Gloss. in c. presentium. V. siquis. de testib. Bartol. in l. 1. num. 6. ff. de ventr. inspici. Butr. in c. in nostra. cit. n. 6. §. tertius casus. de testib. Farin. de testib. q. 43. n. 17. Guazzin. Defens. Reor. 33. c. 74. n. 11. §. quod tamen. Sanfelic. decis. 163. n. 4. lib. 2. Barz. decis. 156. n. 6. Raynald. Synt. Rer. Crim. tom. 1. Proem. §. 11. n. 44. pag. 47. Rota decis. 592. n. 2. p. 3. divers. & nobile est dictum S. Antonin. Summ. p. 3. tit. 19. c. 11. pag. 133. ibi: *Si verò unus testis contradicit pluribus, non obstat ejus contrarietas; quia unus testis nec justificat, nec condemnat.*

Maximè verò doctrina hæc locum habet, quando Testis unicus negat, cæteri affirmant, ut in Casu præsentis; tunc enim intrat aliud Principium Juris, juxta quod magis creditur duobus testibus affirmantibus, quàm mille negantibus,

L. diem proferre, & ibi Gloss. ordin. V. consenserunt, cum Gloss. marg. ff. de recept. arbitr. Bald. in l. actor. n. 2. C. de Probat. Alex. conf. 169. n. 5. lib. 5. Gabr. de testib. concl. 4. num. 1. Farin. de testib. q. 65. n. 200. Rota decis. 208. n. 14. p. 12. decis. 229. n. 14. & decis. 383. n. 11. p. 16. decis. 218. n. 6. p. 17. decis. 819. n. 8. p. 18. recent.

Et hæc trita Conclusio etiam admittitur in Criminalibus,

teste Farin. conf. 55. n. 76. fin. libr. 1. ex ratione, quia ens magis imprimitur in memoria, quàm non ens.

Felin. in c. in nostra. cit. n. 8. §. quoniam negari. de testib. Bald. in l. actor. cit. n. 5. fin. de probat.

Igitur certius adhuc fides habenda est sex testibus de visu, & quatuor de auditu videntium, qui subitam recuperationem Iudicii post contactum Reliquiæ affirmant, quàm

FFF ff 2 unico

unico testi primo, si is talem Instantaneitatem negasset.

49.

*Ad 4.* Ut vidimus *Num. 40.* duplex Reliquia Beati applicata Infirmo est: & primo quidem ipsius Pileus; sed hoc imposito quievit quidem aliquantum furor, sanatio tamen secuta non est: ista autem secuta est, & quidem in instanti post applicationem alterius Reliquiæ, & replicatas preces ad Beatum. Quod cum tot testium depositionibus confirmetur, aperte constat, nec probationem Instantaneitatis deficere. Superest igitur, ut de Relevantia hujus Miraculi statuamus.

50.

Dubium 3.

Rationes dubisandi

**DUBIUM 3.** *Utrum sufficienter etiam constet de Relevantia hujus Miraculi?* Videtur, non adesse Relevantiam, quæ sufficiat, ut hæc sanatio declarari pro Miraculosa possit; Nam 1. Amentia, sive Mania est de sui natura remediorum ope sanabilis, maxime, quando non est contracta ab ipso ortu, Fernel. *de part. morb. & sympt. l. 5. c. 2. n. 40. pag. 255.*

& quando non est hæreditaria.

River. *prax. Medic. c. 13. lib. 1. §. Mania. §. si hæreditaria. pag. 32.*

Imò quòd solis naturæ viribus aliquando sanata sit, plura demonstrant Exempla, relata per Schench. *Observ. Medic. libr. 1. tit. de Mania. V. Curatio. obs. 2. & 3. pag. 134.* & alios in re Medica celeberrimos Authores, ex quibus Plater. *Obs. lib. 1. pag. 87.* Virum, per 40. annos Maniâ detentum, Petr. Forestus *rom. l. 10. obs. 22. pag. 344.* Monachum furiosum, & in *obs. 23. pag. 437. ejusdem Libri* alium Virum pariter Maniacum sanatum fuisse asseveranter fatentur. Videatur etiam Bonet. *Mercur. Compilat. pag. 467.* & pluribus aliis in locis.

51.

2. Ita sanabilem fuisse Maniam in Casu præfenti demonstrat, quòd Infirmus aliquot diebus ante applicationem Reliquiæ Sorori interroganti, an velit ire ad spectandam solennitatem B. Turibii, mente jam quietâ responderit, intra octo dies se staturum bene, quod indicium est, eundem jam tunc cepisse habere lucida intervalla, ipsamque naturam tum vires suas exseruisse ad pristinam sanitatem recuperandam, ex deductis per Paul. Zach. *qq. Medic. Legal. rom. l. 4. tit. 1. q. 8. n. 6.*

quam vim eò magis exerere illa potuit, quia Mania hæc quandoque fuit cum risu, quo casu est minus periculosa, ut docent

Sennert. *pract. l. 1. p. 2. c. 15. §. Prognostica.* River. *l. cit. pag. 32. §. facilius curatur.*

præsertim quia

52.

3. Diu adhibitæ sunt purgationes, in qua diuturna purgatione residet vera ratio hunc Maniæ morbum curandi.

Sennert. *loc. cit. pag. 395. §. purgatio.* River. *l. cit. pag. 32. §. 32. §. & frequentibus.*

cujus efficaciam plurimum adjuvare poterat facta ægrotanti venæ sectio, utpote quæ mirabile est remedium pro Mania dissolvenda.

Sennert. *l. cit. §. inchoanda.*

ubi dicit, *Multos Maniacos, ab aliis derelictos, hoc solo remedio sanatos fuisse.* Neque obest, quòd per duos, vel tres menses ante sanationem nulla amplius Medicamenta ipsi adhibita fuerint; nam

4. Hoc non tollit, quin natura, his remediis antecederet adhibitis, tanquam dispositionibus, confortata, dictam pravam affectionem depurare, istaque sublata, suis viribus ægrotum reducere ad pristinum sanæ mentis statum potuerit, præsertim cum sanatio contigerit æstivo tempore, ubi propter hujus calorem fit perspiratio, insensibilis quidem, sed quæ longè plenior esse evacuatio solet, quam omnes sensibiles simul unitæ,

ut probat Santorius in *4. Aphor. Static. Medicin.*

ut proinde non fuerit opus alio motu critico ad sanitatem mentis recuperandam, cum perspiratio hæc fuerit continuata Crisis, cujus beneficio sanguis depurari poterat: & ex hac fortassis ratione dicitur, quòd *habeant sua tempora morbi*; alii enim æstate, alii hyeme, annuente Hippocrate, interdum etiam absque remediis terminantur, solius naturæ ope expulsi, ut observavit

Sench. *Obs. Medic. 1. tit. de Mania. V. Curatio. obs. 2. & 3. pag. 134.*

5. Ad hunc effectum contribuere multum potuit methodus, & ratio vivendi præscripta à Medico pro quotidiano cibo, & potu, præcipuè cum cibi, quibus nutriebatur Infirmus, fuerint panis, caro, & dulciaria, quæ cum sint amica naturæ, hæc iisdem magis confortata, valuit suomet robore affectionem hanc temperando dissipare. Quòd autem morbo huic dulcia conferant, elicitur ex Sennert. *pract. l. 1. p. 2. c. 15. §. purgatio.* & River. *l. cit. pag. 33. §. diebus verò, & §. recipe conserva Rosarum.*

Neque obest, quòd Curatio hæc videatur fuisse instantanea; nam

6. In tantum Instantanea sanatio in aliis morbis dicitur esse tertii generis Miraculum, seu ad minus pro tali à nobis dignoscitur, in quantum videmus, quòd vires, antea deperditæ, in instanti recuperantur. Atqui in nostro Casu de præcedenti virium deperditione non constat: imò regulariter loquendo Maniaci vires non amittunt. Illarum ergo recuperatio non est probata, nec accidit, aut accidere poterat: consequenter tutò asserere non valemus, quòd liberatio, licet Instantanea, ab infania inter Miracula sit recensenda.

7. Non omnis instantaneus recessus morbi cujuscunque pro Miraculo haberi debet; sic enim sæpè in instanti, absque remedio recedit febris Ephimera, vel etiam Synochus: idem experimur in febrim quarta-

quartana, postquam per annum, vel annos duravit: notumque est in Morbo Calculi, qui in termino naturalis Cursus per calculi ejectionem, absque alio medicamento applicato, cessat. Poterit ergo similiter etiam Mania absque Miraculo cessasse in instanti, præsertim cum de hoc habeamus Exempla,

teste Hildano *obs. 9. cent. 4.* quem refert, & sequitur Burnat. *Thef. Medic. pract. tom. 2. sect. 6. subject. 1. l. 11.*

8. Ad excludendum Miraculum ab inexpectata aliqua sanatione sufficit sola possibilitas, imò sola suspicio, quod potuerit à natura procedere,

ut docet Card. Laur. *de Miracul. D. 20. art. 20. n. 884. ibi,*

*At quando est dubium, vel suspicio, quòd sit à natura, Ecclesia non approbat pro Miraculo, nec de eo curat, sed Fidelium pietatis arbitrio relinquit.* Atqui in Casu præsentis est suspicio saltem, an non sanatio vià naturali ope medicamentorum, maximè sectionis venæ, quam iteratam intervenisse probabile est, procurata sit. Igitur non potest Sanatio hæc tutò ab Ecclesia pro Miraculo approbari.

57.  
Dissolvuntur.

Verùm hæc Argumenta ambiguum non faciunt Relevantiam hujus Miraculi. Ad 1. Distinguendum, ut Medicus Lancisius, in Peritum electus, in Relatione super hoc Miraculo facta monet, à nobis est inter duo Maniacorum genera, unum recens inductum, breve, & quasi accidentale; & de hoc adducit exempla sanationum, procuratarum per naturam, & artis vires: alterum longo tempore confirmatum, & quasi ad habitum tendens; & hoc genus cum Hippocrate ait vel omnino incurabile esse, vel solum per translationem in diurnas alias ægitudines paulatim remittere, & cedere posse:

pro quo citat Etmüller. *de Deliriis. tit. quoad prognosin Mania. pag. 591.* Doleum. *Encyclop. lib. 1. tit. de Mania. pag. 45.* Consentit Sennert. *c. 15.*

ubi Maniam diurnam, præsertim quæ ex ægitudine animi, & Melancholia, vel ex nimio studio ortum habuit, pronuntiat incurabilem. Talis autem fuit, & hujusmodi ortum habuit Mania nostri Infirmi. Igitur bene habita fuit, & habenda est pro naturaliter incurabili: pro quo sufficere debet testimonium Medici curæ, qui pro tali illam pronuntiavit, & propterea Ægrotum deseruit; nam Peritis in arte credendum est, & ut Card. Laur. *de Miracul. art. 5. n. 85. fin. dicit,*

*Consideratio spei, vel desperationis in natura ad Medicos, ceterosque peritos Physicos spectat.*

Consentit Bald. *ad l. si primo mense. ff. de stat. hom. & cons. 136. n. 4. §. & si dicitur.* Specul. *tit. de Probat. p. 2. §. fin. §. hoc quoque notandum.* Anchar. *cons. 330. n. 6.* Rota *decis. 207. n. 6. p. 2. divers. & decis. 38. n. 6. coram Ubaldo.*

Sicque judicârunt Auditores Rotæ

in Relatione Canonizationis S. Thomæ de Villanova post Contelorum. *pag. 677. §. neque prædictis, & pagin. 697. sub med. §. hic sanè.* S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis *§. 1. post obitum. in fin.* S. Cajetani Thyenæ *tit. de Miracul. Mirac. 1. §. Sanationem.* Ven. Servæ DEI Catharinæ Ricciæ *p. 3. Mirac. §. defectum.* Ven. Servi DEI Gregorii Papæ X. *Mirac. 13. §. quæ omnia.* & post alios notat Card. Laur. *in 3. sent. tom. 4. D. 20. de Mirac. art. 20. n. 872. prop. fin. & in Relationibus S. Franciscæ Romanæ, S. Caroli Borromæi, S. Ignatii Lojolæ firmat Contelorum. c. 18. n. 12.*

Et esto, quòd per naturam Mania nostri Infirmi sanabilis fuerit, non tamen cessaret Miraculum; sanabilitas enim, vel insanabilitas non considerantur ad effectum, & substantiam Miraculi, sed ut distinguatur, cujus generis sit Miraculum, an scilicet versetur circa Subjectum, an circa modum,

ut notat Card. Laur. *art. 5. cit. per totum, & præsertim n. 82. & 84.*

nam si adest insanabilitas, quia Subjectum ita est à morbo affectum, ut naturaliter sit incapax sanationis, tunc Miraculum dicitur secundi generis.

Matta *de Canoniz. p. 4. c. 8. n. 19.*

Si verò non adest insanabilitas, & nullâ præcedente Crisi, remediis, aut nullis, aut frustra adhibitis, instantaneè sequatur sanatio, refertur ista inter Miracula tertii generis, de quorum essentia non est, ut morbus fuerit incurabilis, sed sufficit, si modus curationis vires naturæ excefferit.

Matta *l. cit. n. 32.* Card. Laur. *l. cit. n. 85.*

Stat igitur in suo esse præfens Miraculum, etiamsi Mania dicatur per naturam fuisse sanabilis, cum sanatio secuta sit absque Crisi, & Medicamentorum ope, quæ quidem adhibita sunt, sed absque ullo effectu, quod ipsum auget rationem Miraculi, ut patet in Hæmorrhoida Evangelica, quæ omnem substantiam suam in Medicos, erogavit, & plenè firmant Auditores Rotæ

in Relationibus Canonizationum S. Andree Corfini apud Lezan. *consult. 1. n. 261. & 269.* S. Theresiæ *Mirac. II. post obitum,* & planum sit ex Bullis Canonizationum S. Cœlestini, S. Raymundi, S. Ignatii Lojolæ, S. Rosæ Limanæ &c.

Proinde Medicus Curæ, perpensis his, & aliis circumstantiis, optimo Jure sanationem hanc Miraculo, per intercessionem B. Turibii impetrato, adscripsit.

Ad 2. Licet tunc temporis sic responderit, non tamen propterea dici potest, quòd Maniacus noster perfectè sanatus tunc fuerit; quia deinde iterum in furorem incidit, & hunc etiam passus est ipsa die sanationis,

F f f f 3

tionis,

58.

tionis, quippe quâ ad narrationem Sororis indecoros, & furiosos gestus, & actus edidit. Ad summum ex hoc probatur, quod tunc habuerit lucidum aliquod intervallum; quod non est inolitum apud Maniacos. Verum ne hoc quidem probatur; habent enim Maniaci maxima ex parte memoriam, ut cum aliis notat Sennert. c. 15. cit. §. est nimirum.

Proinde, quod Sorori interroganti pacatè responderit, se intra octo dies staturum bene, & solennitati interfuturum, solum probat, intermissum fuisse furorem, non verò lublatam amentiam, quippe quâ stante, ex reminiscencia nostri Beati potuit sic respondisse. Et talia intervalla Infirmus noster etiam aliàs habuit, quæ tamen furoris duntaxat, non amentia remissio erant; nam testatur Medicus curæ, quod intervalla hæc fuerint metæ inæptiæ. Deinde dato etiam, quod intervalla ista fuerint placidissima, etiam cum usu rationis conjuncta, cum de natura istius morbi sit habere hujusmodi intervalla, ex hoc, quod illa Infirmus habuerit, non potest inferri, quod fuerit perfectè sanatus, cum talia habentes ad pristinam amentiam illico revertantur. Causam intervallorum istorum Sennert.

c. 15. cit. §. & licet homo.

refert in modum, quo humor igneus, & atra bilis Patientis occupat; nam si per venas omnes, aut per principaliora membra diffusus sit, insania est perpetua, & continua: contra si uno præcipue loco circa uterum, aut aliam partem concludatur; tunc enim delirium intermissiones suas habet. Unde, ut ex cessatione amentia argui perfectè Restitutio possit, necessarium est expectari per tempus, quo amentia post hujusmodi intervalla consuetum suum recursum habet. Non ergo Responsio hæc Sorori data sanitatem mentis perfectè recuperatum demonstrat: imò ex hoc potius confirmatur insania perseverantia, & miraculosa sanationis evidentia. Vel enim prædictio hæc, quâ Infirmus Sorori dixit, se intra octiduum convaliturum, fuit Casualis, & verificata per accidens, vel à S. Turbio inspirata. Si primum, nihil probat contra durationem amentia; quia verbum, sine fundamento rationabili prolaturum, etiam si verificentur dicta, non est certum indicium constantis intellectus, præsertim in Casu nostro, ubi aliunde constat, constanter perseverasse alienationem mentis. Si verò secundum, per hanc circumstantiam Miraculum magis illustre redditur, cum hoc factum cenleri debeat ad excitandam domesticorum fiduciam erga Beatum, qui propterea Infirmo Reliquiam illius imposuerunt, quâ applicatâ, dein subsecuta sanatio, & impleta prædictio est, ut testium depositiones confirmant. Ad id, quod additur, Insaniam hujus Maniaci fuisse cum risu, patet ex dictis Num. 38. ubi dictum est, hujusmodi Insaniam esse quidem

minus periculosa, sed tamen æquè rebellem ad applicata Remedia, ac illa est, quæ perpetuum furorem sibi conjunctum habet.

Ad 3. Adhibita quidem fuerunt purgationes, & missio sanguinis, sed adeo parum juverunt Infirmum, ut potius Mania creverit in dies magis usque ad momentum sanationis: quod aperte demonstrat inutilitatem istorum remediorum, & incurabilitatem, vel saltem pervicaciam morbi, quippe cujus vim vincere nulla Remedia valuerunt. Certè si Remedia ista aliquid profuissent, id signo aliquo indicassent, quod testes, & præsertim Medicus agnovissent. Negant autem hi omnes omnem istorum efficaciam, ipseque Medicus, inutilitatem Medicamentorum videns, ut unanimiter reliqui decem testes affirmant, Infirmum deseruit, sicque ultimis tribus ante sanationem Mensibus omnino ab eorum applicatione in ordine ad Maniam curandam cessatum est: quod utique idem Medicus non fecisset, si de remediorum efficacia conjecturam aliquam facere potuisset. Cum ergo post applicata omnia, quæ Ars Medica dictavit, remedia, nulla secuta est melioratio, sed potius auctus furor, & sæviores Mania vires assumpsit, certi jam sumus, quod Ars Medica in hac sanatione partes non habeat, præsertim cum illa evenerit per transitum Ægroti instantaneum à Statu desperato ad perfectam intellectus constantiam: profunde excedere illam vires naturæ, & miraculosa fuisse dicendum est.

S. Thom. p. 1. q. 105. art. 8. Card. Laur. 3. sent. tom. 4. D. 20. n. 1047. 1051. & 1053.

Quò confert tritum apud Medicos Axioma, quod Medicamenta applicata juvant, continuata sanant; si autem applicata, & continuata nec juverunt, nec sanarunt, quoties sanatio post duos, vel tres menses à Medicamentorum applicatione elapsos, successit, illa Miraculo est adscribenda, prout arguit

Paul. Zacch. qq. Medic. Leg. l. 10. conf. 1. n. 16. §. cætera deinceps causa.

Ad 4. Esto, quod Medicamenta applicata successu temporis potuerint effectum sanitatis producere, hoc tamen fieri non potuit, ut per plures Menses effectus iste otiose lateret, sed debuisset se sensim prodere, & sævitia morbi in dies componi, usque dum ad naturalem statum reductis humoribus, integræ sanitati restitueretur Ægrotus. Dum ergo post tantum tempus nulla in illo ex Medicamentis adhibitis notata est melioratio, sed eodem semper modo, imò acrius furor ipsum vexavit usque ad diem sanationis, dumque eadem die contra naturam Medicamentorum, quæ paulatim, & non ex abrupto, præsertim post tantum tempus integram operantur sanitatem, eo ipso momento, quo applicata est Beati Reliquia, Infirmus noster usui Rationis perfectè restitutus, profectò dicendum est, hunc effectum

Etum non à natura, sed ab Omnipotenti DEI dexterâ, ad intercessionem ejusdem Beati supra naturâ vires operante, processisse. Æstivus autem calor, qui tempore illo æstuebat, tam parum prodesse potuit, ut potius debuerit connaturaliter furorem augere, quippe quo sanguis, & alii humores, præsertim bilis atra, cujus exæstivatio Maniæ præcipua causâ est, si nimius ille sit, vehementer accendi solent. Fit quidem eodem æstivo tempore magna transpiratio; sed quòd ista ad sanitatem nihil profuerit, effectus monstravit, dum non solum non decrevit furor (quod ex supposito hujus insensibilis evacuationis fieri debuisset) sed etiam auctus est.

61. Ad 5. In Maniacis ex vivendi modo, & præsertim ex diæta possunt quidem emendari Pathemata, sed naturam penitus transformari impossibile est, teste Hippocrate apud Duret. in *Coac. de Maniac. Coac. 1. n. 60.*

quod eò magis pugnat in Casu nostro, quippe in quo non leguntur adhibita pro cibo, quæ aliàs quomodolibet prodesse solent, ut apud Tozz. tit. de *Mania. §. in cibum tandem*, notant DD.

Certè si Medicamenta, aliàs pro morbo isto pellendo idonea, primis mensibus applicata non profuerunt, minus prodesse Regula victus poterat. Fecit ergo in Casu hoc Medicus, quod communiter Medici solent, quotiescunque morbus ab ipsis habetur pro incurabili, ubi præscribunt vivendi Methodum ad ægritudinem non repellendam, sed saltem non augendam. Quod ad dulcicem comestionem attinet, nuspiam Riverius, aut Sennertus asserunt, nudam, & simplicem illorum comestionem quidquam juvare posse. Riverius §. *diebus cit.* præscribit quidem Julepum, sed ex pluribus mixtis compositum, quorum minor portio consistit in dulcibus, & ex præcedentibus, ab eodem Authore allatis, constat, alia multa remedia, ad longum tempus continuata, necessaria esse: ac propterea cura hæc, quam dictus Author præscribit, plurimum distat à simplici aliquorum dulcium comestione. Sennertus verò c. 15. cit. §. *Chymici*, licet ex Chymicorum doctrina concedat Saccharum, non tamen nudum, sed pluribus aliis Ingredientis mixtum. Quin imò, cum Ægrotus noster bile abundaret, dulcium comestio ei potius fuisset noxia, quippe quibus bilis augetur, ut monet River. *Inst. Medic. l. 3. sect. 1.*

c. 1. de signis biliosi humoris:

quod in Infirmo nostro effectus docuit; nam ex augmento bilis, per dulcium comestionem promotum, crevit Maniæ morbus, qui ab humore atrabiliari oritur, ut ex Galeno docet

62. River. c. 13. de *Mania. §. causa Mania.*

Ad 6. Ratio approbationis Miraculi, seu istius certitudo non consistit in eo, quòd vires perditæ in instanti recuperentur (nam

virium recuperatio est quid accidentale, & extra essentiam Miraculi) sed consistit in eo, quòd ad applicationem Reliquiæ, aut invocationem alicujus Sancti, Beati, aut alterius Servi DEI in instanti sublata sit morbi malitia,

ut notat Contelor. de *Canoniz. Sanct. c. 17. n. 14.* Pignat. tom. 5. *consult. 35. n. 12.* Castellin. de *certit. Glor. Sanct. c. 8. pag. 407. col. 1. §. ut Miraculum & §. eandem Sententiam.* Auditores Rotæ in Relatione S. Raymundi p. 2. art. 5. & S. Franciscæ Romanæ *Miracul. 3. §. nec detrahit.*

atqui in præsentis Casu, ut ex hæcenus deductis constat, dubitari non potest de instantanea expulsionem malitiæ morbi. Igitur, non obstante, quòd Infirmus in hoc nostro casu per Maniam nihil virium pristinarum perdidit, nihilominus hæc sanatio ejusdem, talibus circumstantiis vestita, miraculosa dicenda est.

Ad 7. Quidquid sit de Exemplis in hoc Argumento adductis, ab his nullum sumi judicium quoad Maniam potest; quia argumentum ab exemplo non concludit,

L. sed licet. ff. de *Offic. Prator. & ibi Gloss. l. nemo. C. de Sent. & interloc.*

63. idque tantò magis, quia morbi, in his Exemplis propositi, non censentur esse incurabiles, prout tamen in præsentis casu Mania fuisse à Medico est judicata. Adde, quòd, quando morbus, etiam qui in instanti naturaliter potest recedere, in valido suo, & adversus adhibita diu remedia contumaci vigore existens, ad invocationem alicujus Sancti, vel applicationem Reliquiæ illico recedit, ejusmodi morbi recessus non virtuti naturæ, sed naturæ Authori, supra vires istius agentis, sit tribuendus,

ut firmat Card. Lau. de *Miracul. D. 20. art. 5. n. 85. pag. 495.* Malvet. de *Canoniz. dub. 3. n. 53. & seqq.* Auditores Rotæ in Relatione S. Hyacinthi de *Miracul. fol. 4.* S. Andreæ Corsini p. 3. §. 2. §. *primò videre. n. 224. apud Lezan. pag. 27.* & probat Angel. Rocca de *Canoniz. Sanct. c. 20. advertitque S. Thom. 2. 2. q. 178. art. 2. in Corp.*

juxta quem, licet aliqua opera, secundum se spectata, fieri possint à natura, adhuc sunt præter naturam, & jussu Divino, quatenus ad Divini Nominis invocationem præsignatâ horâ contingunt, quia DEUS ex speciali sua Providentia nequaquam permittit, ut post invocationem alicujus Sancti statim operetur natura, ne homines decipiantur. Neque obstat hic autoritas Hyldani allegata; quia in Casu nostro Mania erat diuturno octo mensium tempore confirmata, & eo ipso tempore, quo Infirmus ab ea liberatus est, consistebat in contumaci suo vigore: ad invocationem autem B. Turibii, & applicatam illius Reliquiam in instanti, postquam ad trium mensium spatium nulla amplius adhibita

hibita fuerunt Remedia, recessit, & idem Infirmus ita perfecte convaluit, ut de dicta Infirmi- tate nihil amplius senserit: quod cum naturæ vires manifestè excedat, inferri ex hoc aliud nequit, nisi quod Sanatio hæc per operationem DEI extraordinariam, & miraculosam evenerit. Ex quo sequitur Responsio.

64.

Ad 8. Nam ad excludendum Miraculum tertii generis non sufficit, quod Morbus ex sui natura curabilis sit, sed præterea etiam considerandus est modus sanationis, an talis ille sit, ut attentis circumstantiis omnibus, tali modo Morbus iste per naturæ vires curari possit. Ostensum autem hæcenus est, modo tali sanitatem in Casu hoc contigisse, ut ipse naturæ vires omnino excedat; quia, cum morbus esset in summo vigore, postquam adhibitis frustra Remediis, Sanationis spem omnem Medicus curæ deposuit, & propterea per tres integros menses à præbendis contra Maniæ morbum medicamentis abstinuit, in instanti, nulla præcedente Crisi, ad solam applicationem Reliquiæ, malum omne abstersum est. Ut adeo, his consideratis, nec possibile, nec prudenter suspicabile sit, Sanationem sic effectam à natura potuisse procedere. Patet igitur etiam de Relevantiâ hujus Miraculi, quam ulterius illustrabit sequens Censura.

65.  
Censura de  
Miraculo  
1.

JUDICO, dubitandum non esse de magnitudine hujus Miraculi, ac proinde Sanationem istam inter tertii generis Miracula Jure meritissimo reponi posse. Nam 1. Morbus in Casu præsentis fuit Mania formalis, & perfecta, plerumque conjuncta cum furore, ita, ut opus fuerit Infirmum constringere ferreis catenis, & vinculis ferreis, ne sibi, & aliis nocumentum afferret: & in hoc statu continuavit Ægrotus per octimestre, nempe à Mense Februario usque ad Novembrem, & ipsum instans Sanationis, quo ipso temporis momento magnis, ut antè, exagitabatur furoribus: quæ omnia habentur ex depositione undecim Testium, octo nimirum examinatorum Autoritate Apostolicâ; & trium aliorum, qui auditi sunt in Processu instituto Autoritate Ordinaria: cum ergo hi omnes sint Testes de visu, & in Substantialibus perfecte concordent, concludenter probatum extat primum Miraculi Extremum. Cujus Probationis Relevantiam

66.

2. Auget Judicium Medici Curæ, qui, cum videret, Medicamenta, à se applicata, nihil proficere, per tres ultimos Menses à præbendis illi Remediis contra Maniæ omnino abstinuit, & Infirmum profus incurabilem proclamavit, prout deposuit hic ipse Medicus, & ex ejus auditu Testes alii novem. Nec fundamento hoc Judicium Medici caruit, quippe quod celeberrimorum in Arte Medica Doctorum Sententiâ fundatum est. Ex his

Sennert. *Medic. pract.* l. 1. p. 2. c. 1 §. de Mania, n. 1.

dicit, *Malum hoc diuturnum, & curatu difficile est, ac non solum per menses, sed sæpe multos annos durat, & ægros usque ad mortem comitatur*: quod confirmat adhuc clariùs idem Sennert.

tom. 3. lib. 1. cent. 1. consult. Med. 19. pag. 26.

ubi, *Affectum*, dicit, *difficillimum curatu*: cuius rationem reddit; quia *totum Sanguinem, in cuius intemperie Mania præcipuè consistit, depurare difficile, sed intemperiem auferre admodum laboriosum evadit, si verò ad habitum redigatur, impossibile*; tunc enim *toto vita curriculo delirio detineretur, præterquam quòd brevi tempore fato cedere posset &c.* Consentiunt

Curt. Marinell. *Comment.* § 3. aph. sect. 6. ubi ait, *Ægrè, & difficile hac passio curatur.* Thom. Willis. l. 1. de morb. anim. c. 10. ubi, *Quando Mania est inveterata, de Sanatione ambigit, de integra quasi desperat.* Tozzius *Medic. pract. tit. de Mania. §. etsi igitur. & §. seq.* ubi, *Amentes ad restam rationis semitam revocare ferè impossibile esse testatur*:

Quod præcipuè procedit, quando (ut in casu præsentis) Mania provenit ex nimio Studio, vel ex ægritudine Mentis, & præcedenti Melancholia; tunc enim,

ut testatur Duret. in *Coactis Hippocr. tit. de Mania, seu Melanch.* c. 24.

non solum redditur periculosa, sed est omnino incurabilis, ita, ut à solo DEO expetenda sit salus. Et hinc in Bulla Canonizationis S. Petri Cælestini inter Miracula relata est Sanatio furiosi, qui ad præsentiam illius adductus, cum comedisset de pane, per ipsum exhibitum, sic est curatus perfecte, ut de dicta infirmitate nihil amplius senserit.

3. De Invocatione B. Turibii non potest esse dubium; nam ejus intercessioni, ut testatur Frater Sanati, Infirmum commendarunt Mater, Sorores, & tota Domus. Ex his verò Mater, cum jam resolvisset eundem in interiori aliquo domus angulo concludere, ne clamoribus, & ejulatibus suis domesticis molestus esse pergeret, tanquam ultimum Remedium, eidem Infirmo applicavit Reliquiam B. Turibii, ut idem Sanati Frater testatur. Neque obest, quòd tempore applicationis præsens non fuerit; hoc enim audiit à dicta sua Matre, & tota Familia, & expressè de hujus Reliquiæ applicatione deponunt de visu, & respectivè de facto proprio Soror Sanati, & Mater, quæ proinde cum sint duo Testes contestes, & in ore duorum, aut trium Testium stet omne verbum, plenam invocationis Probationem faciunt, ut in proposito tradit

Card. Laur. *D. 20. art. 25. n. 1104.* dicens, in hoc non esse difficultatem. Neque Probationem istam infirmat, quòd Matris depositio in Processu Apostolico non fuerit

67.

fuerit repetita; quia ad Invocationem, ubi de Extremis Miraculi constat, ex communi Doctorum, de Materia ista scriptionum, Doctrina, sufficiunt leviores Probationes, imò unius solum Testis, qui Invocationi præsens adfuerat, depositio.

68.

4. Cum porrecta Infirmo fuisset Reliquia Beati, hanc ille reverenter est osculatus, illico absterio malo, sibi restitutus, perfecte compotem se rationis ostendit, nec ullum amplius vel minimum pristinae insanitiae, & aberrantis animi indicium dedit; imò (quod maxime aestimat Medicus Lancisius, in Peritum electus) post tres, aut quatuor dies ab accepta pristina sanitate populi conventum, & Supplicationem, in honorem Beati institutam adire potuit, indeque nullam amplius mentis turbationem expertus est: quod signum est perfectæ, & miraculosæ quidem Curationis; nam Mania confirmata, cujus generis præsens erat, id præcipuum habere solet, ut remittat quidem, & etiam intermittat, sed postea antiquâ atrocitate recurat, cujus tamen contrarium in Casu præfenti contigit; nam ab Anno 1680. quo Sanatio contigit, usque ad Annum 1689. quo Testes producti sunt, consequenter novem annorum decursu non tantum nihil de restituta mentis perspicuitate amisit, sed illico Studia sua Theologica continuavit, SS. Ordinibus initiatus est, concutrit pro Beneficiis, & eo ipso Anno 1689. in Festo B. Turibii pro Concione coram nobilissimo Auditore cum applausu universalis dixit, ubi etiam memoriam miraculosæ suæ Sanationis fecit: de quo deponunt Testes omnes, in substantialibus contestes, qui de statu Morbi deposuerunt; ut adeò plenè probatum sit etiam secundum Extremum.

69.

5. Miraculum præsens augent insignes Circumstantiæ. Nam 1. Per plures menses ante Invocationem, & prodigiosam hanc Sanationem infirmo nullum amplius esse applicatum Remedium, prout testantur Testes omnes, pro Miraculo hoc allegati, & ex his Medicus curæ, qui, visa inutilitate Medicamentorum à se primò per aliquot menses applicatorum, professus est, nullum Remedium sibi suppetere, & hinc Ægrotum, tanquam deploratum, deseruit: cuius, etiamsi singularis, & unicus de hac re Testis esset, tamen quia iuratus de re, ad officium suum spectante, deposuit, depositioni credendum esset.

Alex. conf. 197. n. 5. lib. 7. Socin. conf. 31. n. 33. lib. 2. Gratian. Descept. for. c. 626. n. 7. Rotæ. decis. 374. n. 3. p. 3. & decis. 348. n. 14. p. 16. recent.

Insuper 2. Licet morbus iste, interveniente Crisi, vel evacuatione, aut temporis diuturnitate, si nimirum humoris morbosus fervor tepescat, & sensim ad naturalem crasim redigatur, curari aliquando possit, omnem tamen huiusmodi Crisim, & evacuationem excludunt Testes omnes, dimi-

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

nitionem verò successivam morbi Infirmus non solum non est expertus, sed potius iste indies intendebatur: in quo statu continuavit Ægrotus usque ad diem Sanationis, ut proin morbus non modò non fuerit in declinatione, sed potius in verò statu, & maximo vigore, ne dicam augmento.

3. Sanitas etiam contingere non potuit benigna cœli temperie; quia contigit Mense Novembri, quippe quo tempore in Lima-na Urbe, & Peruano Regno incipiunt calores æstivi, qui summi tunc sunt usque ad finem Februarii; est autem calor nimius maxime noxius, malo Maniaco affectis. 4. Nihil ad effectum istum prodesse poterat ratio victus, ut ostensum est Num. 61. aut temperamentum Infirmi, quippe quod Cholericum, atque adeò, post alteratos humores, huius morbi maxime susceptivum fuit; vel denique loci mutatio; nam Infirmus in una, eademque domo Paterna tempore morbi semper permansit: ut adeò Sanatio, consideratis omnibus circumstantiis, neque naturæ beneficio, neque Artis Medicæ adminiculo obtineri potuerit, sed solummodo Omnipotentis, ad Intercessionem Beati Turibii supra naturæ & artis vires operantis, auxilio adscribi debeat. Et sic

70.

6. Reipsa Sanationem istam pro miraculosa habuerunt Testes omnes, & his Testibus domestici universi, præsertim verò Medicus curæ: quorum iudicium approbat uterque Medicus in Peritum electus. Debet autem quoad morbos, & eorum curationem non aliter judicari, quam Medici, & Chirurghi deposuerunt.

Mascard. de probat. concl. 1036. n. 6. & seqq. Paul. Zacch. qq. Med. Leg. prowm. Spada Conf. 123. n. 3. & 4. Libr. 1. Farin. q. 127. n. 101. & seqq. Raynald. obs. crim. c. 10. §. 1. n. 16.

Et sic ex antiquâ praxi in ferendo iudicio de miraculosis Sanationibus procedit S. Congregatio, ut præter alios notat

Bordon. de Miracul. medit. 7. n. 22. Pignatell. tom. 7. conf. 26. n. 2.

Ut proinde huic Testium, & Medicorum præcipue, iudicio, post comprobatam dicto modo Invocationem Beati, & utrumque Extremum Miraculi Sanatio hæc, tanquam miraculosa, merito approbari possit: idque eò securitis, quia

7. In Casu isto nec timendum est de fictione ulla ex parte Sanati, aut dubitandum de fide Testium: Et fictionem quidem ex parte Sanati excludunt tum effectus amentitæ, ad novem ferè menses protractæ, tum ipsa morum integritas, quâ ipse Sanatus claudit; nam, ut ex depositione sex omnino Testium habetur, à Juventute fuit devotus, timens DEUM, & valde prudens, ac propterea carus Instructoribus suis, totique Collegio. Dubium de fide Testium tollit eorum tum numerus, tum etiam qualitas; sunt enim numero undecim, & ii plerique Nobi-

G g g g g

les,

Ies, Sacerdotes, & Religiosi, qui propterea fidem plenissimam faciunt. Neque obstat, quòd non omnia illa testentur, quæ fufius deponuntur à Matre, & Sorore Sanati; nam istæ, quia ab Ægrotò nunquam recedebant, plenius de omnibus deponere poterant, quàm Frater Religiosus Sanati, & Medicus, quos adhærere semper Ægrotò nec decens, nec possibile fuit. Nihil igitur hoc tollit de fide reliquorum Testium, quippe quod in omni materia, per Testes probandâ, accidere solet: ubi sufficit, ut quisque Testis suum Testimonium proferat super iis, quæ vidit, aut fecit, & tum simul sumpti plenè probâsse censentur, cum in substantialibus omnes conveniunt,

*C. nihil obstat. de V.S. Alex. conf. 50. n. 40. lib. 1. Rota decis. 166. n. 3. & 4. coram Carill. & decis. 53. n. 13. & decis. 173. n. 8. p. 13. recent.*

cujus rationem dat

Card. Laur. in 3. sent. tom. 4. D. 20. de Miracul. art. 25. §. 1. n. 1084.

ibi, *Non enim omnes aequaliter, & eadem cum applicatione attendunt ad aliorum facta, sed alii plus, alii minus, & ideo si substantiam facti quoad utrumque Extremum probant, sufficit.*

## MIRACULUM II.

*Liberationis ab imminente periculo mortis, ob aenea Cochlea deglutitionem.*

71.

ANNO 1680. tempore, quo Limæ Festum Beatificationis B. Turibii celebrabatur, Filiola famulæ Domus Valladolid, unius anni parvula, Cochleam aeneam, cum qua infantium more luserat, ore impositam, deglutit, quæ cum gutturi inhæreret, nec deorsum promoveri posset, ita miseram puellulam torfit, ut propediem efflatura animam crederetur. Nesciebatur mali causa; quia nemo, dum Cochleam sic deglutivit, præsens adfuerat. Hinc Mater Puellulæ tormentum istius videns, in lamenta, & ejulatus effundebatur. Fortè tunc Patrem suum, Dominum Domus visitaturus advenerat cum alio ex Religione sua Socio Pater Hyacinthus Valladolid, è Familia Divi Dominici Vir eximius. Hic in ulnas suas susceptam Infantem, cum motu destitutam vidisset, mortuam credidit. Hinc fiducia erga B. Turibium conceptâ, ad hujus Imaginem, quæ tunc in eadem Domo, eidem Beato devotissimâ, floribus, & luminibus festivè ornata prostabat, cum Infantula pergens, ejusdem opem ardentissimis precibus implovavit.

72.

Vix preces finierat, cum ecce! Infantula rursus vitæ indicium dedit; sed manus, pedes, oculos miserabilem in modum contorqueus: quo factum, ut prævehementiâ toto corpusculo intumesceret, & propediem suf-

focanda crederetur. Advertens Pater, malum hæere in guttore, digitum in illud immisit, & notavit, ibi hæere aliquid, quod spiritum suffocaret. Quare, repetitis ab ipso, cæterisque, qui adstant, precibus, interiori impulsu accepto, iterum Puellulæ faucibus immisit digitum: & ecce! ad contactum digiti, tanquam ad contactum Magnetis ferrum, aenea Cochlea inhæsit, eumque extractum secuta est, absque ulla læsione Filiolæ, quæ dein omnino incolumis exiit. Tum absque mora præsentem omnes se demiserunt in genua, gratias agentes DEO, & Beato Turibio. Factum hoc referunt sex Testes de visu, & duo alii de auditu videntium.

Contra hoc secundum Miraculum opposi possunt sequentia.

1. Testis septima, Mater Infantulæ, Authoritate Apostolica examinata, circa primum duntaxat Extremum deponit de visu, & quidem modicissimo tempore; ait enim, se tanto tempore, quo bis *Credo* recitari poterat, vidisse illam sic miserè agitari, & contorqueri: præ commiseratione autem non potuisse amplius tormentum hoc Filiolæ suæ aspiceri, sed recessisse se in aliud conclave; & propterea de Invocatione B. Turibii, à P. Hyacintho factâ, ac de mira extractione Cochleæ, aliisque substantiam Miraculi concernentibus solum esse potest Testis de auditu à præsentibus.

2. Eadem Testis est sibi contraria; nam in Examine, factò Authoritate Ordinariâ, dixit, se nullius rei memorem esse, nisi, quòd Infantulam Domine suæ in brachia dederit; in repetitione autem Authoritate Apostolica ait, se fuisse præsentem, dum implorabatur auxilium Beati, & digitum in Puellulæ guttur immisus est: in quo iterum non sibi constat; nam in Processu, instituto Authoritate Ordinariâ, asseruit, se, postquam Infantem in Domine sinum conjecit, præ impotentia doloris, & afflictionis abisse, & solum è longinquo audisse, quòd P. Hyacinthus posuerit digitum in os Puellulæ. Igitur, tanquam sibi contraria in Substantialibus, nullum facit gradum Probationis, & cum utraque depositio jurata sit, neutri deferri potest,

juxta *clicet causam*, & ibi Gloss. de Probat. Farin. de testib. q. 66. n. 13. Rota decis. 303. n. 1. p. 1. divers. & decis. 514. n. 13. p. 18. recent.

3. Similis contrarietas reperitur inter Testem sextum, & trigessimum; nam posterior dicit, P. Hyacinthum recepisse Puellulam è manibus Matris; contra Testis sextus cum ipsa Infantulâ Matre, & hujus Domine ait, quòd Mater posuerit Puellulam in manibus Domine suæ, à qua postmodum prædictus Pater illam acceperit: igitur hi duo Testes, nempe sextus, & trigessimus, qui soli in Processu Apostolico deponunt de visu, tanquam se invicem collidentes, non probant.

Farin.

73.

Argumenta  
contra Mi-  
raculum.

74.

75.

Farin. de testib. q. 65. n. 2. Rota decis. 73. n. 20. p. 19. recent. sicque factum remanet absque concludenti probatione Testium autoritate Apostolica examinatorum, quam probationem complere non possunt reliqui testes, etiam ii, qui de visu proprio in Processu, instituto autoritate Ordinaria, examinati, & in Processu Apostolico repetiti non sunt, quippe qui adminiculum duntaxat præstare possunt.

76. 4. Pater Hyacinthus, examinatus autoritate Ordinaria, qui de facto proprio, tam de Invocatione, quam de asserta mira extractione deponit, in sua depositione parum videtur esse constans; nam primò asserit, puellulam fuisse mortuam: deinde, mutatà opinione, solum existimavit, casum esse absque remedio: mox redit ad primam opinionem, quam deposuerat circa obitum puellulæ, & iudicat, eam intercessione Beati fuisse resuscitatam.

77. 5. Extractio istius Cochleæ fortasse potuit fieri naturaliter ope digiti indicis, in puellulæ guttur immissi; potuit enim Pater ungue istius apprehendisse cochleam, & sic extraxisse eam ex gutture: ad quod servire etiam potuit agitatio, & contorsio Infantulæ, & per hanc effici, ut facilius apprehendi, atque ex faucibus extrahi illa posset. Præterea

78. 6. Ejectio Cochleæ promoveri potuit ex illo ipso motu, quo mater desolata Infantulam projecit in ulnas Domine suæ; constat enim, quòd percussione in collo, vel tergo, aut alio simili motu tolli possit periculum strangulationis, quæ ex deglutione alicujus rei solidæ imminet, ut tradit Savonarol. de Egrit. guttur. tract. 6. Rubr. 2. pag. 114. Sennert. Epitom. pract. Med. l. 2. p. 1. c. 23. pag. 487. §. res inanimata.

Et hinc

79. 7. Testis 30. qui fuit præsens, non trahit in controversiam, quòd extractio istius cochleæ ex gutture Infantulæ potuerit fieri naturaliter; nam rationem sui asserti Miraculi non fundat absolute in impossibilitate, sed sistit in difficultate.

80. His Argumentis Postulatores sequentes opponunt Responsiones. Et quidem ad 1. Respondent, Matris testimonium esse omnino legitimum; nam deponit sufficienter de utroque Extremo: de primo quidem de visu proprio. Neque obstat, quòd tempus, quo contorqueri vidit filiulam, fuerit admodum breve; nam eo tempore id vidit; quòd sufficiebat, ut statum Infantulæ cum circumstantiis adeò notabilibus narrare posset, quæ periculum suffocationis præsentissimum abundè demonstrant. Secundum Extremum partim narrat de auditu præsentium, partim de visu proprio; licet enim ipsi extractioni non interfuerit, tamen illico, dum post extractionem cochleæ restituta est ipsi puellula, undequaque sanata, atque à malo

R. P. Schmalzgrueber Conf. Tom. I.

suo liberam vidit: quòd sufficit, ut dici possit esse testis de visu respectu secundi Extremi; neque enim necessarium est, ut testis viderit, aut præsens fuerit ipsi sanationi, sed satis est, si paulò ante sanationem viderit in statu desperato, & deinde post breve tempus conspexerit plenè sibi restitutam. Invocationem Beati habet à P. Hyacintho ex auditu proprio: quòd iterum sufficit; nam post probatum ritè utrumque Extremum, ad Invocationem probandam leviores probationes concludunt.

Ad 2. Si qua est in depositionibus istius Testis varietas, illa circa accidentalalia duntaxat versatur, in substantialibus autem concordat cum reliquis testibus; cum his enim in utroque Examine fatetur, puellulam ex suffocatione, quæ ob deglutionem cochleæ imminebat, fuisse morti proximam: & hoc est, quòd in præsentì quæritur, ut sciatur, utrum adfuerit, prout necesse est, vel mortis articulus, vel periculum illius inevitabile, ut præservatio Miraculo possit tribui: quapropter, dum de hoc extremo in utroque Examine deponit, non est curandum, quòd in accidentalibus variaverit. Excusabilis etiam est hæc variatio ob lapsum plurimum annorum, qui inter utrumque Examen fluxerunt; nam post tantam intercapedinem non est exigenda concordia exactissima cum dictis in utroque Examine: quòd confirmatur ex communi doctrina, juxta quam excusabilis est Testis, quando dicit, se de aliquo non recordari.

Innoc. in c. qualiter, & quando. de accusat. Bald. in l. Presbyteri. C. de Episc. & Cleric. Idem de testib. p. 2. tract. divers. circ. mat. test. num. 25. pag. 76. Nell. à S. Geminian. ibid. pag. 154. n. 161. fin.

Porro circumstantiæ, quarum Testis hæc in primo Examine recordata non est, in memoriam revocari potuerunt per Interrogationes exactissimas, à Reverendissimo Fidei Promotore propositas: & hinc potius videtur deferendum secundæ depositioni, etiam ex hoc, quòd ad formam novissimorum Decretorum Testibus, dum in Processu Apostolico examinantur, præstandum proponatur Juramentum longè rigorosius, magisque tremendum, quam proponi soleat ab Episcopo, dum ipse Miracula autoritate sua Ordinaria examinat. Denique parum refert, an Testis iste quoad circumstantias, in Argumento isto propositas, sit oculatus, an solum auritus; nam Miraculum non ex hujus solum, sed septem aliorum testium depositione adstruitur.

Ad 3. Miraculo nihil addit, neque illud minuit, quòd ex depositionibus testium incertum sit, an Pater Hyacinthus Puellulam acceperit ex manibus Matris, an verò ipsius Domine; nam hoc ad accidentalalia solum pertinet, in quibus variatio non attenditur, nec derogat fidei testium, præsertim referen-

G g g g g 2 tium

81.

82.

tium de facto, quod ante annos complures contigit. Cum igitur firma stet fides duorum testium de visu, autoritate Apostolica examinatorum, & his addenda sit juxta demonstrata *Num. duob. prac.* Testis septima ejusdem generis, non est opus adminiculo Testium autoritate Ordinaria examinatorum, quamvis hi istiusmodi adminiculum abunde præstent.

83.

Ad 4. Nulla est contradictio in depositione Patris Hyacinthi; nam optimè simul stant, quòd, dum puellulam in brachiis suis, post signa mortifera, deprehendit motu omnino destitutam, crediderit esse mortuam; quando autem postea ad invocationem Beati iterum pedibus, manibusque agitari cepit, existimavit, eam vel fuisse resuscitam, vel saltem constitutam in periculo mortis inevitabili. Deinde non opinio in Miraculis, sed rei veritas consideratur: parùmque refert ad rationem genericam Miraculi, sive Infantula fuerit resuscitata ad intercessionem Beati, sive præsentis, & inevitabili periculo mortis erepta, quamvis si prius contigisset, fuisset Miraculum superioris ordinis.

84.

Ad 5. Possibilitatem naturalem extractionis cochleæ, in hoc Argumento assertam, excludunt notabiles circumstantiæ, in ista intervenientes. Nam 1. Consideranda venit magnitudo cochleæ, ob quam angustæ, & teneræ fauces puellulæ ita perstringebantur, ut consequerentur mortales Paroxysmi, à testibus concorditer recensiti. 2. Ob easdem angustias faucium, & gutturis digitus huic immixtus tantum abest, ut operari naturaliter extractionem potuisset, ut potius ex ejus immixtione deorsum detruçì, quàm extrahi cochlea potuerit. Quod ipsum demonstrat 3. Ipse cochleæ istius situs, quo in gutture illa hæsit; nam pars illius spiralis respiciebat stomachum puellulæ, latior verò, & omnino lævigata sursum porrigebatur, ut adeò quidem tangi digito, non verò ungue apprehendi potuerit. Et esto, quòd ungue digiti apprehendi potuerit cochleæ unum latus, tamen 4. Intelligi nequit, quomodo id juvare extractionem, arctitudine gutturis consideratâ, potuerit; imò elevatâ ex illo latere cochleâ, ex altero latere necessariò sequi debebat major compressio gutturis, & sic totaliter impediri respiratio. Denique 5. Cochlea non ungui, sed extremo digiti, tanquam Magnes ferro, adhærens, sine tuffi, vel alio naturæ auxilio, quo promoveri ex faucibus potuisset, egressâ est, & quidem absque ulla læsione, quæ in arctissimis, & tenerissimis faucibus per priorem immixtionem digiti, quo cochlea deorsum deprimebatur, contingere debuisset: quæ omnia simul junctâ dilucidè videntur ostendere, extractionem istam non virtuti naturali digiti, sed misso de cælis auxilio ad intercessionem B. Turibii adscribendam esse. Neque contrarium suadet agitatio illa, atque contorsio, quam passa puellula est; nam hanc etiam

ante primam digiti immixtionem est passa, neque tamen ista aliquid ad cochleæ extractionem contulit.

Ad 6. Projectio puellulæ in sinum Dominae, à Matre facta, non potuit esse motus vehemens, cui extractionis facilitatio adscribi possit; nam facta est à Matre filiolæ amantissima, cui, utpote jamjam morituræ, omnis paulò vehementior motus nocere poterat. Hinc ipsa Mater mitioribus verbis dicit, se infantulam posuisse in brachiis Heræ suæ, & in his reliquisse. Quare huc non confert doctrina Savonarolæ, Sennerti, & aliorum Scriptorum, ex quorum sententia, ut rei duræ in faucibus hærentis ejectio procuraretur, requiritur motus, & agitatio insignis, & quidem non pedum, & brachiorum, quippe quæ concuti etiam vehementissimè sine notabili motu dorfi, aut partium colli, vel gulæ, in qua malum inhæret, possunt, sed dorfi, illud insigniter percutiendo, ut sic promoveatur tuffis, quæ res gutturi inhærens ejiciatur.

85.

Ad 7. Ad Miracula tertii generis, inter quæ istud referendum esset, non requiritur absoluta impossibilitas, sed sufficit respectiva ad modum, quo malum tollitur. Hinc si istud tali modo tollatur, quo modo naturaliter tolli non potuisset, hoc sufficit ad declarandum Miraculum. Testis trigessimus allegatus fundat se super difficultate, sed hanc talibus circumstantiis vestitam refert, ut revera æquiparanda sit impossibilitati inter morales gravissimæ: & hinc tam ipse, quàm cæteri Testes in hac extractione Miraculum agnoverunt.

86.

Putant ergo Postulatores, non obstantibus Argumentis in contrarium oppositis, pronuntiandum esse pro Miraculo, quippe cum utrumque Extremum, & ipsa Invocatio B. Turibii videatur sufficientissimè probata per testes. Et primum quidem Extremum ex puellulæ contorsionibus, aliisque proximæ suffocationis indicibus probant tres testes de visu, examinati in Processu Apostolico, quorum dicta confirmant tres alii testes pariter de visu, auditi in Processu, instituto autoritate Ordinaria: quod primum Extremum augent 1. Qualitas æneæ cochleæ, cujus materiam, formam, & magnitudinem iidem testes, omnes de visu, describunt. 2. Tenera ætas puellulæ, quæ, ut testes citi. referunt, annum integrum non excessit, & propterea ob gutturis arctitudinem, & teneritudinem ab hac ænea cochlea, à se deglutitâ, præfocari statim debuerat, præsertim quia 3. Cum primum fauces digito tentatæ sunt, cochlea depulsa deorsum fuerit, ut refert Testis 7. de auditu videntium, & trigessimus de visu proprio: quorum depositio adjuvatur per Testem 26. de facto proprio, & vigesimum nonum, ac trigessimum primum de visu, examinatos autoritate Ordinaria.

87.

Argumenta pro Miraculo.

Invo-

88. Invocationem B. Turibii probant sex testes, & ex his examinati in Processu Apostolico, omnes de visu, & auditu proprio: cui Invocationi facilis liberatio adscribenda videtur, quia 1. Tunc temporis celebrabatur Festum Beatificationis ejusdem, & Familia Valladolidiana eidem Beato devotissima erat, ut quinque testes deponunt. 2. Inevitabile mortis periculum, ut testes unanimiter deponunt, in Casu presenti aderat, quod illico post Invocationem Beati sublatum est; quodocunque autem tale periculum inevitabile mortis post Invocationem alicujus Sancti in instanti tollitur, censetur Miraculum esse in statu suo perfectum, & præservatio Invocationi tribuitur, juxta Card. de Laur. rit. de Mirac. D. 20. art. 20. n. 872.

ubi in fine, *In his ergo casibus, inquit, ut adscribantur Miraculo, articulus mortis, seu periculum inevitabile certissime, & evidenter, omni exclusâ dubitatione, constare debet &c.* 3. Præ omnibus magni ponderis æstimandum est, quod P. Hyacinthus in tanto rei discrimine, ex interiori impulsu supernè accepto digitum, in puellulæ guttur immiserit cum magna fiducia post implorationem Beati factam; nam,

ut Cassianus Collat. 9. c. 3. ait, & probat Suar. de Relig. tom. 2. l. 1. c. 24. n. 9. *signum futuræ imperationis est, quando Spiritus S. movet ad petendum cum magna fiducia, & quasi securitate.*

89. Secundum Extremum Miraculi satis apparet ex cochleæ in puellulæ faucibus hærentis, facili extractione, procuratâ modo prorsus inepto per immisionem digiti in guttur, unde potius præfocari debebat Infantula. Miraculum auget 1. Quia pars minùs lata cochleæ intra fauces tendebat deorsum, sursum autem pars latior: unde ista, à digito tacta, potius descendere, & tenacius fauces occludere debuisset, quàm digitum rursum extractum sequi, & ascendere, præsertim cum ex parte superiori, quæ digito inhæsit, esset plana, consequenter per digiti unguem apprehendi nequiverit. 2. Quia P. Hyacinthus, dum iterum digitum immisit in guttur puellulæ, ut tres testes de visu referunt, illius vultum sursum revolvit, & sic in situ posuit, unde difficilius solo digiti tactu extrahi poterat, quàm si illa faciem in terram habuisset aversam. 3. Eadem Infantula, ut duo testes de visu, & unus de auditu videntur testatur, nec tussim, nec catarrhum, nec alium naturæ impulsu tunc habuit, cujus vi expelli quodammodo cochlea potuisset. 4. Eadem cochlea, ex tenellis Infantulæ faucibus eruta modo recensito fuit absque exarnificatione, aut alio etiam levissimæ læsionis indicio, ut habetur ex depositione trium testium de visu proprio.

Et has ob causas cuncti testes, & ipse etiam Doctor Manfrèdus, in Peritum electus, hanc cochleæ æneæ extractionem pro certo

Miraculo, per intercessionem B. Turibii impetrato, tribuerunt: quod judicium confirmatum arduitas remedium, & instrumentorum, quæ diversa pro extrahendis è guttore rebus similibus, calu deglutitis, præscribit

Sennert. tom. 3. l. 2. p. 1. c. 23. pag. 278. col. 1. *inanimata.*

quorum tamen nullum in casu presenti adhibitum est; tum praxis S. Congr. & Sedis Apostolicæ, à qua similes extractiones Miraculo adscriptæ non semel sunt, ut patet ex Relatione S. Isidori

apud Contelor. de Canoniz. Sanct. pag. 751.

S. Francisçi de Paula.

Const. 38. Leonis X. §. 28. Bullar. tom. 1. pag. 531.

Nec multum à presenti contingentia facti distat Miraculum, quod in tertia Lectione Officii de S. Blasio ad diem 3. Febr. recolitur, ubi inter Sanatos ab eodem Sancto refertur *puer, qui, desperatâ à Medicis salute, transversâ spinâ faucibus hærente, animam agebat.*

Si verum est, quod cochlea deglutita extremo digiti adhæserit, sicut ferrum solet adhærere Magneti, Miraculosa omnino ceteri deberet extractio; neque enim naturaliter vim ejusmodi attractivam habet. Sed hoc suppositum non nisi unius P. Hyacinthi testimonio adstruitur, qui, licet sit testis omni exceptione Major, tamen, quia unicus, & in re ad substantiam Miraculi apprimè pertinente, plenam probationem non facit, præsertim, cum multa sint, quæ suadent, cochleam istam naturaliter potuisse ejici, & hoc quidem colligi videtur ex ipsa partis affectæ structura, quæ utpote mollis, raræque substantiæ, facillimam in lateribus distensionem patitur: potuit igitur digitus, gutturi insertus, istud aliquantum distendendo locum facere ungui, ut hic cochleam ex latere aliquo apprehendendo, eam loco dimovere, sursumque promovere valeret. Nec desunt Exempla, ex quibus habetur, res hujusmodi deglutitas, per duos sæpè vel tres dies hærentes in faucibus, naturæ, vel artis ope fuisse extractas, quin interea periculum præsentaneum esset de præpropere Patientis suffocatione: quod periculum in Casu presenti tantò minus erat, quia res deglutita parva fuit, & exiguo semihoræ ad summum spatio hæsit in guttore, atque ideo fluidorum hinc inde circulantium cursum remorari, & strangulationem, mortemque inferre adeò citò non poterat, licet acerrimos dolores causârit, qui temporis progressu puellulam ad extrema deducere valuissent. Quare, his omnibus consideratis, cum Fossombrono, in Peritum electo, judico, Miraculum hoc esse dubium, & ideo pro Canonizatione decernenda servire non posse.

90. Censura de Miraculo 2.

## MIRACULUM III.

*Subita Sanationis Morbi in oculis.*

91. **M**aria Castagnida, trium annorum puellula, ex malo temperamento Nutricis, quæ illam lactaverat, distillationem in oculis patiebatur. Adhibita sunt varia, & opportuna remedia; sed morbus omnia respuit, adeo, ut tandem supernata oculis nubecula visus ita obfuscaretur, ut ferè nihil videret. Cum misera Infantula diutius sic affigeretur, Lucia Avia Nepotula B. Turibii Reliquias applicuit, eamque duxit ad Imaginem ejusdem, in Æde S. Dominici publicæ venerationi expositam, ubi Eleemosynam dedit pro Missa, in honorem Beati dicenda. Interfuerunt huic ambæ. Precès devotas Beatus audiit. Nani finito Sacrificio, Puellula, omni malo absterfo, integrè sanata, domum cum Avia sua rediit. Recensent factum istud sex testes de visu, ex quibus testis sexta refert, sanationem hanc pro Miraculosa fuisse habitam à Parentibus Puellulæ, totaque domo. Judicium istorum approbat Doctor Manfredus, in Peritum electus.

92. **Argumenta contra Miraculum.**

Super hac Sanatione Reverendissimus Fidei Promotor putat, non ulterius esse immorandum ob defectum probationis. Nam 1. Nullus Medicus, vel Chirurgus fuit examinatus super hoc facto: adeoque non satis constat de statu, & qualitate morbi, an iste vi naturali curabilis fuerit, præsertim cum ille constiterit in quadam fluxione ex oculis, quæ communiter contingit teneræ ætatis filiis, & facillimæ curationis est: ex quo satis detegitur irrelevantia.

93. 2. Adhibita sunt proportionata remedia cum emissionem Sanguinis, quorum remediorum ope visus hebetudo facillimè tolli potuit,

ut monet Joan. Schench. *lib. 1. observ. Medic. tit. de cur. cacit. obs. 3. pag. 150.* & confirmat Sennert. *pract. Medic. lib. 1. p. 3. sect. 2. c. 28.*

ubi asserit, quod venæ sectio, & pharmaca aptissima sint ad dictum morbum tollendum. Neque difficultatem curationis auget oculo supernata nubecula; quia ista inveterata non fuit: quo casu faciliorem curationem reddi advertit

River, *prax. Medic. lib. 2. c. 18. §. recent.*

94. 3. Testes variant circa durationem morbi; nam quartus ait, Infirmatatem hanc durasse ultra annum, sextus verò deponit de duobus mensibus: cæteri de duratione ejusdem omnino tacent. Similis variatio est circa tempus sanationis; nam Testis 6. 26. & 29. asserunt, sanationem contigisse immediatè post invocationem, & antequam puellula ducta fuisset ad Ecclesiam D. De-

minici, in qua colitur Imago B. Turibii; reliqui autem testes ajunt, illam evenisse in ipsa Ecclesia.

4. Per testes Instantaneitas Sanationis, quæ in Miraculis tertii generis, quale istud esse deberet, essentialissima est, non concluditur; nam de hac non deponit testis secundus: de eadem tacet Testis quartus. Testis autem 23. Avia sanata, solum dicit, quod puellula aperuerit oculos absque dolore, quem antea senserat, & disparuerit nubecula, quæ prius in oculo apparebat: consequenter non dicit, eam fuisse penitus liberam à tormento, nec quod clarè inspiceret objecta, quæ antecederent in confuso, & indistinctè dicebatur vidisse.

5. Iidem testes non omnes sunt legitimi, & omni exceptione majores; nam testis 2. fuit Joseph de Andrada, qui antea laborabat Maniæ morbo. Testis quartus non dicit, se fuisse oculatum quoad Instantaneitatem Sanationis: & quod talis non fuerit, demonstrat ejus Examen, factum autoritate Ordinaria, ubi dicit se esse testem de visu quoad utrumque Extremum morbi, & sanationis, nullà factà mentione de Instantaneitate. Testis 6. & 29. sunt tantum de auditu, non autem de visu quoad substantiam Miraculi. Et talem fuisse etiam Testem 26. suspicio est, quia ex visu solum testatur de celebratione Missæ, cui præsens fuit.

Ad ista Argumenta Postulatores hunc in modum respondent. Ad 1. Cum opera Medici, aut Chirurgi in hac ægritudine non fuerit adhibita, hi non poterunt induci pro Testibus. Neque necessarium erat istorum testimonium ad cognoscendam qualitatem morbi, quippe qui ex ejus effectibus, & aspectu ipso satis cognoscebatur. Sufficit ergo, ut testes deponerent de statu morbi extrinseco, de quo, cum ille sub sensum visus cadat, idonei testes sunt etiam, qui non sunt Medici, vel Chirurgi, ad quos deinde pertinet, ex recensitis per testes effectibus, & statu extrinseco dijudicare de statu intrinseco, & differentia Morbi, quam testes non Medici dignoscere non potuerunt. Quod judicium isti formare possunt, etiam si ipsi ægroto præsentibus nunquam adfuerint, ut docent Auditores Rotæ in Relatione Canonizationis S. Thomæ de Villanova apud Contelor. *pag. 677. §. neque prædictis.*

& constat ex Relationibus S. Franciscæ Romanæ, S. Caroli Borromæi, S. Ignatii Lojola

apud eundem Contelor. *c. 18. n. 12.*

Hinc in Relatione pro dicta Canonizatione S. Thomæ de Villanova iidem Auditores Rotæ similem sanationem Ophthalmiæ tanquam Miraculosam sine testibus Medicis approbaverunt,

prout patet apud laudatum Contelor. *pag. 685. §. hac probantur.*

Ad id, quod additur de facilitate Curationis, distinguendum est inter simplicem fluxionem Oculorum, quæ pueris familiaris est, & inter morbum graviozem, à fluxione pertinaci, & inflammatoria inductum, scilicet Ophthalmiam. In Casu præfenti non agitur de simplici fluxione, quæ utique est facillimæ curationis; sed de Ophthalmia, & suffusione inflammatoria, & hæc quidem vera, non spuria, quæ tandem in altero oculorum nubeculam, seu pannum, aut unguam induxit: de qua audiendus est

Sennert. *pract. lib. 1. p. 1. sect. 2. c. 18. de suffus. prognost. s. est igitur,*

ubi, *Spuria, inquit, suffusio non solum periculo vacat, sed facile etiam, evacuato ventriculo, curari potest; vera autem difficulter, & alia quidem medicamentis foris, intraque adhibitis, alia punctione cum acu;* pro qua cura præcipue inidonei sunt Senes, & Pueri,

juxta eundem Sennert. *loc. cit. n. 10. ibi:*

*Senilis ætas ad curationem apta non est, quippe qua suo vitio visum heberem habet; nec etiam puerilis, in qua humor nondum est maturus.* Et verò difficultatem Curationis in Casu præfenti satis ostendit inutilitas Remediorum applicatorum: necesse proin est, ut subita, & perfecta Sanatio ad solam Invocationem B. Turibii, non istis, sed cœlesti auxilio sit tribuenda. Hinc

98. Ad 2. Non obest, quòd adhibita fuerint proportionata Remedia, & præsertim Sanguinismissio; nam hæc Remedia sine ullo fructu adhibita sunt, imò semper in pejus malum ruit, prout Testes omnes uno ore deponunt, adeò, ut timerent Confanguinei, ne Puellula ab usu assiduo Remediorum omnino excæcetur. Adde, quòd Remedia Pharmaceutica Curationem solum promittant, quando panniculus, seu nubecula est recens, juxta id, quod advertit

River. *prax. Medic. lib. 2. c. 18. pag. 220. col. 2. §. recens unguis,*

ibi, *Recens unguis, & magnitudine medicis Pharmaceuticis Remediis curari potest.* In Casu autem præfenti non potest dici, quòd Malum fuerit recens, & non inveteratum, quippe quod adeò diu miseram Puellulam affixit, cum constet, plusquam integro anno hac Ægritudine affectam fuisse. Neque obest, quòd primò solum fuerit defluxio, & inflammatio Ophthalmica, quam deinde secuta est nubecula, duobus ultimis ante Sanationem Mensibus supernata; nam utriusque affectus duratione considerata, potius dici debet duplex morbus inveteratus, ex quibus cum neuter vel minimum post Remedia applicata, remiserit, Teste, & judicio Manfredi in Peritum electi, uterque dici debet à B. Turibio fuisse miraculosè sanatus.

99. Ad 3. Facile conciliatur variatio; nam Testis quartus loquitur de initio morbi; sextus verò de tempore, ex quo supervenit

nubecula: cæterum hic ipse Testis deponit de longitudine temporis; ait enim, fluxionem hanc in oculis Puellulæ durasse per multum tempus: & sic cum priore conciliatur. Circa tempus Sanationis attendendæ sunt depositiones Avix, Amitæ, & Patru, qui testantur de Sanatione consecuta in ipsa Ecclesia, nec curandum, quòd alii duo Testes deponant de Sanatione facta ante accessum ad Ecclesiam; nam quando Testes sunt contrarii, tunc attenduntur, qui plures sunt numero.

Farin. *de testib. q. 65. n. 107. Cyriac. contr. 159. n. 12. Bonden. collect. 50. n. 155. vol. 2. & alii apud istum.*

Adde, quòd Testes, qui deponunt de Sanatione facta ante aditum Ecclesiæ, id referant ex auditu Avix, ut patet ex depositione, facta à P. Hyacintho, Matertera sanata, & famula, ut proinde potius credendum sit ipsius Avix, in cujus Relatione se fundant. Hæc autem expressè testatur, Sanationem factam in ipsa Ecclesia. Error in Matertera contingere potuit ob longi temporis, quod inter unum, & alterum Processum intercessit, lapsum, ob quem contingere potuit, ut non amplius meminerit omnium circumstantiarum, quando examinata fuit in Processu Apostolico. De famulæ autem depositione ideo curandum non est, quia in hac non bene distinguitur, utrum sciverit, Puellulam fuisse sanatam ante accessum ad Ecclesiam, an verò in Ecclesia, vel post recessum ab illa; dicit enim, se vidisse, quando Puellula se valde male habebat, & quando illam conduxerunt ad Ecclesiam S. Dominici, & tunc audivisse se ex Avia Sanatæ, quòd applicaverit Beati Reliquiam, & istius actu Puella fuerit sanata. Imò explicari hæc verba possunt, ut concordent cum reliquis Testibus, ita, ut de existentia Morbi loquatur ante accessum, & de Sanatione post recessum ab Ecclesia.

Ad 4. Non est necessarium, ut Testes, deponentes de Miraculo, semper addant verba *subitò, continuò,* aut *in instanti* secutam esse Sanitatem, sed sufficit, si ita describant, ut evidenter pateat, illa fuisse subitò patrata. Patet Exemplis Scripturæ, ubi in Relatione miraculorum Sanationum verba *subitò, continuò,* non semper, verba autem *in instanti* nunquam leguntur: quod considerans

Card. de Laur. *tit. de Mirac. art. 20. n. 865.*

inquit, *Hæc ideo de subtilitate curandum non est, dum agitur de Relevantia Miraculi, sed sufficit probari, quòd statim, quòd subitò ad applicationem Reliquia, vel Invocationem effectus intentus obtineatur sine Remedio, & sine Crisi, &c.* Subita autem Sanatio satis in Casu nostro probatur ex depositione Amitæ, dicentis, Puellulam subitò stetit benè, & sanam apparuisse. Idem inferitur ex dicto Avix,

via; dum enim ait, quod Puellula, postquam domum rediit, aperuerit oculos sine dolore, & disparuisse nubeculam, quæ antea erat in altero oculorum, eo ipso excluditur impedimentum visus, & sic patet restitutio Sanitatis, in Templo ad Aram Beati secuta. Testis secundus aperte dicit, se Puellulam, dum portabatur ad Templum, vidisse antiqua Infirmirate detentam, postea verò, quando domum reversa est, conspexisse omnino sanatam: adeoque deponit de utroque Extremo Miraculi; scilicet de existentia status defectuosi, & de ablatione illius intra breve illud tempus, quod inter tempus accessus ad Templum, & recessus ab eo intercesserat. Est autem Instantaneitas pars secundi Extremi. Igitur dum de hoc Testis deposuit, etiam super Instantaneitate deposuit, juxta receptam Regulam, quod Testis probet etiam super eis, quæ veniunt in necessariam consequentiam.

101.

Ad 5. Nihil est, quod obstet Legitimitati Testium. Nam 1. Testis secundus eo tempore, quo depositionem hanc suam fecit, perfecte fuit mentis suæ compos: & insuper fuit de visu respectu utriusque Extremi modo paulò antè relato: quod sufficit, etsi Actui Sanationis non interfuerit; nam ad Probationem Miraculi non requiritur, ut omnes Testes viderint omnia, sed

ut ait Contelor. c. 18. n. 13.

sufficit, si duo Testes probant præcedentem Infirmiitatem, & alii duo probent de perfecta Sanatione secuta vel eadem die, vel die sequenti cum Invocatione, seu Voto emissio ad illum Sanctum, de cuius Canonizatione agitur. Igitur multò magis habenda est ratio Testis, qui super utroque Extremo dicto modo deponit, licet non interfuerit ipsi Actui Sanationis. 2. Quod attinet ad Testem quartum, is hoc ipso, dum dixit, se oculatum esse respectu secundi Extremi, de visu quoque dixit de Instantaneitate, præsertim cum in Processu Apostolico affirmaverit, se fuisse præsentem, dum Sanatio contigit. Pariter 3. Constat, Testem sextum oculatum fuisse quoad primum Extremum: quod verò oculatus fuerit etiam respectu secundi, & Instantaneitatis in hoc inclusa, colligitur ex Relatione facta super ejus Testificatione deposita, in qua adhibetur Verbum pluralis numeri, *Iverunt ad curandam Celebrationem Missæ*, quo loquendi modo indicatur, ipsum simul cum Avia Neptulam gestante accessisse Templum, consequenter fuisse præsentem, dum sub Celebratione Missæ nubecula evanuit. Nec minus 4. Testis de visu præcipue quoad secundum Extremum est Testis vigesimus nonus, quia refert, se illà ipsa die, quâ Miraculum contigit, vidisse Puellulam accedentem ad Ecclesiam, ut gratias ageret B. Turibio pro impetrata Oculorum restitutione. 5. Denique Instantaneitas de vi-

su refertur à Teste vigesimo sexto, ut liquet ex integro ejus dicto: nec ex eo, quod dicat, se disposuisse, ut diceretur Missa in Ara Beati, & ibi adstiterit, sequitur, eum non fuisse præsentem subitæ Sanationi, quam paulò antè narravit. Et esto, Testes isti non possent haberi pro Testibus de visu proprio, sufficeret Testimonium Amitæ, & Avia; nam duo testes, etiam Fœminæ, si sint Testes contestes de visu, satis probant, præcipue si accedat adminiculum aliorum Testium, deponentium de auditu videntium, ut firmant Auditores Rotæ in Relatione S. Thomæ de Villanova apud Contelor. pag. 492.

Putant igitur Postulatores, Sanationem istam, non obstantibus in contrarium oppositis, habendam pro Miraculosâ, quòd utriusque Extremi, & Invocationis habeatur plena Probatio ex depositionibus Testium. Et quidem primum Extremum, nempe causam & qualitatem Morbi, ut supra expositum est, recensent in Processu Apostolico auditii Testes tres, omnes de visu, quibus accedunt tres alii, pariter de visu, examinati in Processu, instituto Authoritate Ordinaria. Ex Relationibus autem istorum Doctor Manfredus, in Peritum electus, colligit, Morbum præsentem fuisse aut pannum, aut Suffusionem, & addit, qualiscunque ex his duabus affectionibus fuerit, non potuisse in instanti, & sine Remedio eam curari; quia sunt pertinacissima mala, quæ nec Medicamentis cedere solent, si fuerint inveterata per Menses.

Probat assertionem hanc suam idem Medicus de Panno

102. Argumentum pro Miraculo.

ex Felice Platero *prax. lib. 1. de sunâ. lation. c. 7. tit. Curatio. pag. 277.*

ubi iste hoc iudicium profert, *Panniculus incipiens impediri nonnunquam potest, ne augeatur; auctus agrè Medicamentis cedit, licet validissimis: per Sectionem, si cornea non sit cognatus, amputari potest; si induratus sit, nullis præsidis cedit.* Consentiunt Platero omnes unanimiter Scriptores, adeò, ut, cum certum sciatur, Pannum Oculis supergenitum rebellem esse Medicamentis frustra adhibitis, recurrant ad manualet operationem,

ut notat Bernardin. Gordon. p. 3. c. 2. Rubr. 8.

ubi post descriptam ejus Curationem per Medicamenta, subjungit, *Si autem his non curetur, recurramus ad Chirurgicum literatum, & expertum, & tunc elevetur Panniculus cum uncino, & discarnerur cum capite penna subtili, & scindatur cum capite forficis.*

In eundem sensum loquuntur Doctores de Catarrahta. Ex his

104.

Lomnius *lib. 1. Medic. obs. tit. Suffusio. pag. 37.*

*Vera Suffusio, inquit, si longâ vetustate occupetur, curari non nisi acu potest, scilicet depositione manuali, per acum tentatâ: deinde explicans, quam Catarrahtam pro vetusta intelligat, addit, eam vetustam intel-*

ligi.

ligi, quæ in principio non sit. Assentitur Hieronymus Mercurialis *lib. 1. pract. c. 34. §. signa prognostica.*

ubi ex mente Cornelii Celsi addit, *ed magis gravem reddi morbum, si factus sit ex graviore morbo, & post paulum, senes, inquit, similiter pueros curatu esse difficiles.*

105. Ex horum igitur Doctorum sententia sequens formatur Argumentum: Tam Panniculus, quam Catarracta, si inveterata sint, sine manuali operatione curari non possunt, maximè quando præcessit gravior morbus, & Patiens est senex, vel puer. In Casu præfenti morbus puellulæ fuit inveteratus per mentes, non cessit remediis adhibitis, concurratque tam præcedens morbus gravis, & diuturnus, quam puerilis, seu infantilis ætas. Ergo sive pannus, sive catarracta fuerit, sine manuali operatione, ne dicam, sine ullo remedio, præsertim instantaneè curari non poterat. Fuit autem curatus absque manuali operatione, postquam remedia adhibita nihil profuerunt, sed potius auxerunt malum, ad Invocationem B. Turibii, de qua facta deponunt unus testis de facto proprio, duo de visu, & duo alii de auditu invocantis: & quidem curatio hæc facta est in instanti, prout asserunt testes sex unanimiter. Igitur necesse est curationem istam non naturæ viribus, sed Omnipotentia Divinæ, ad Intercessionem Beati supra naturam operanti, adscribere.

106. Et hinc non absurdam liberationem ab oculorum caligine Miraculo adscripsit Clemens IV. pro Canonizatione S. Hedwigis *Const. 9. §. 14. Bullar. tom. 1.* Leo X. pro Canonizatione S. Francisci de Paula *Const. 38. §. 24. dist. tom. 1.* & Urbanus VIII. pro Canonizatione S. Ignatii Lojola *Const. 3. §. 40. tom. 4.*

& meritò quidem; nam oculorum suffusio est humorum circa pupillam congelatio, quæ visivam virtutem impedit,

*ex Aëtio Terrabil. 2. serm. 3. c. 51.*

cujus morbi, præsertim in pueris, curationem difficillimam esse affirmant

Galen. *lib. 14. Method. medend. c. ult.* Jonston. *lib. 4. Idea Medic. art. 2.* Arculan. *in 9. ad Almanforem cum supra cit.*

107. Centura de Miraculo 3. Judico cum Fossombrono Medico, in Peritum electo, Miraculum hoc non adeò certum esse, ut pro decernenda Canonizatione servire possit; nam 1. Dubitari potest de ipsa affectûs hujus natura, cum desit peritum testimonium. Et quidem cit. Fossombronus putat, probabilis fuisse solum Inflammationem, vel si Catarracta fuit, eam fuisse non veram, sed spuriam, & ex inflammatione oculorum ortam, quod colligit tum ex duratione Infirmitatis, quippe, quæ plus quam per annum duravit, cum vera suffusio brevi tempore incrementum sumat, & ut Ri-

*R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. 1.*

verius docet, intra sex menses plerumquæ confirmata evadat; tum ex Symptomatis concomitantibus, scilicet dolore, qui semper adfuit, dum oculos puella aperuit, & imminutione visûs, dum apertis oculis corpora quidem vidit, distinguere autem objecta non potuit: quorum Symptomatum complicatio in Catarracta vera, & quæ à simplici humorum crassitie dependet, difficulter salvatur; per Inflammationem autem, & ortam inde Suffusionem spuriam facile explicari potest; nam cum humor biliosus Adnatam, & ipsas oculi palpebras occupaverit, facile fuit partes ejus salino-sulphureas ab interna Schlerotidis superficie aqueum humorem subisse; texturamque ejus regularem, quæ ad diaphaneitatem requiritur, immutando visum hebetasse,

ut vult Dolæus *Encyclop. Chirurg. c. 11.*

Dolorosus verò oculorum motus effici potuit per humorem, qui à partibus oculi externis stagnabat, & ad palpebras usque diffusus, easdem inflammaverat, harum fibras musculares distendendo.

2. Dubium auget variatio testium circa modum, & tempus sanationis; nam ex testibus aliqui affirmant, puellulam fuisse sanatam ante accessum ad Ecclesiam; alii verò asserunt hoc contigisse post Missam, in honorem B. Turibii celebratam: ut proinde incerta sit Instantaneitas sanationis.

3. Infirmae prout sunt applicata Medicamenta aptissima, & ipsa Phlebotomia: consequenter mirum non est, quòd humor ille, qui visum impediit, discussus, vel aliò derivatus sit; nam si

juxta Hippocrat. *Aphor. 17. sect. 6.*

*lippientes alvi profluvio arripi bonum, idem beneficium etiam venæ sectio præstare potuit, cum utraque in evacuatione consistat, & hæc ipsi morbo, utpote inflammationi convenientissima sit, teste eodem*

*Hippocr. Aph. 31. sect. 6.*

4. Circa modum sanationis multa contingere potuerunt, quæ à testibus, qui in tam longo morbi tractu vel de visu non fuerunt, vel de morbi processu, & accidentibus evenire solitis minus solliciti fuerunt, adnotata non sunt; nam, ut supra Hippocrates, *nonnulli per alvi profluvium, alii*

juxta Pausaniam *in Messeniæ c. 4.*

*superveniente dolore capitis, ab ejuscemodi morbo liberati sunt.*

5. Non obstat Galeni textus *Num. 106.* allegatus; nam de consummata, & inveterata Suffusione intelligendus est. Præfens autem necdum confirmata, & à causa amovibili dependens erat: proinde in cit. Axiomate inclusa non est. Et esto, difficilis ejusdem curatio fuerit; à difficili tamen ad impossibile malè concluditur, præsertim quia

H h h h h

6. Plez

108.

109.

110.

III.

112.

6. Plenæ sunt AA. Historiæ, ubi similes morbi naturaliter curati asseruntur.

Vid. Schench. *de Curat. Catarract. sin. oper. Chirurg. obs. cent. 4.*

ubi præter mulierem triginta annorum, puellam affectam morbo, huic non dissimili, setacio auriculis applicato sanasse se asserit.

## MIRACULUM IV.

*Repentinæ Sanationis geminorum Fratrum, eodem tempore, & ab eodem Morbo malignarum Februum cum Pleuritide, & Periculis.*

113.

ANNO 1684. Bartholomæus, & Franciscus de Ascarrunz, Germani Fratres in malignam febrem cum Pleuritide, & variolis venenatis inciderunt. Cum remedia adhibita nihil proficerent, de vita illorum conclamârunt Medici, & mors eorum in horas expectabatur. Bartholomæus per triginta, & Franciscus per viginti dies jam decubuerant. Cognito utriusque morbo, & periculo, Archi-Episcopus Limanus ipsis misit duas Imagines B. Turibii papyraceas, quas attulit Præfectus Domus ejusdem Archi-Episcopi. Hic primò locutus Patri Ægrotorum, deinde ad Infirmos se cum isto conferens, ex dictis Imaginibus cuilibet unam donavit. Tempus, quo allatæ sunt istæ Imagines, erat circa serotinum pulsum salutationis Angelicæ: lævebat tunc in utroque morbus ferventius; dolor capitis, maxime in Francisco, erat adeò vehemens, ut nec die, nec noctu ullum quieti momentum indulgeret. Allatis Imaginibus, Pater filiis ægrotis suavitatis, ut conciperent fiduciam erga Beatum, & ejus opem implorarent, adductis aliorum exemplis, qui ejusdem intercessione salutem consecuti sunt. Obsecuti consilio filii, acceptam Imaginem capiti, & pectori devotè appresserunt, & ejus Intercessioni efficacissimè se commendârunt, cum Voto ad ipsum concepto, se, ubi consanuerint ejus ope, visitaturos sacellum illius in Ecclesia Cathedrali per octo continuos dies, additis simul aliis promissionibus.

114.

Nec defuit invocantibus Beati auxilium; nam statim, ac Imaginem prædictam sibi applicârunt, senserunt malum sic mitigari, ut suborto placidissimo somno, ita noctem totam quietissimè traduxerint. Manè à Medico ipsos visitante, inventi sunt liberati & à febre, & à comitibus ejusdem morbis ex integro. Remansit tamen aliqua debilitas, & quidem major in Bartholomæo, quæ tanta erat, ut post discessum febris prima die coactus fuerit in lecto decumbere: quæ tamen & ipsa discessit absque alio remedio, ita, ut post tertium, aut quartum diem sa-

tisfacere Voto potuerint: quod proinde impleturi, quamprimum ad Ecclesiam Cathedrali, ubi Corpus Beati requiescit, se contulerunt, & prout voverunt, visitationem hanc per octo continuos dies repetierunt. Sanatio fuit ita perfecta, ut uterque nullas deinceps ejusdem morbi reliquias senserit, atque ambo deinceps incolumes semper vixerint. Hæc omnia quatuor oculati testes perspicuum faciunt.

Plura huic Miraculo obijciuntur. Et 1. Quidem quia primum istius Extremum stabiliri satis non potest ex defectu Examinis Medicorum, qui Ægrotis his adfiterent pro Cura: proinde in obscuro manet qualitas, & substantia morbi sanati, quæ per dictos Medicos referri potuisset; & sic non habetur certissima illa, irrefragabilis, & evidens probatio, quæ in hujusmodi causis requiritur, per ea, quæ ponderat

Pasqualig. *ad Lauret. de Franch. contr. int. Episc. & Regul. tit. de Cult. & Miracul. q. 4. n. 1145. §. quod fieri non potest.*

Neque aliquid ad rem confert, quòd Medici isti, antequam in Causa hac institueretur Processus auctoritate Apostolica, jam è vita ista decesserint; hoc enim solummodo facit, quòd Postulatoribus non possit imputari omisso Examinis illorum, non autem facit, ut probatio sit concludens.

2. Morbus iste, prout ex circumstantiis, per Testes relatis constat, haberi quidem pro febre acuta debet: sed, ut judicat Doctor Fossombronius, in peritum electus, mitioris malignitatis: quod inde constat, quia nullus ex testibus allegatis ausus est asserere, quòd Medici de Vita ægrotorum desperaverint: insuper nulla fit mentio de administratis Sacramentis Ecclesiæ, quod utique fuisset factum, si præsens mortis periculum adfuisset. Et esto, maligna propriè febris hæc fuerit, in hujus-tamen sanatione non videtur quidquam contigisse, quod naturæ vires excedat; nam contra hanc ministratæ sunt opportunæ Medicinæ, quæ proinde effectum sanationis potuerunt producere. Neque obest, quòd die sanationem præcedente nihil medicamenti adhibitum fuerit; quia intervallum adeò breve unius diei non impedit, quin prius applicatæ vim suam exererent. Et verò

3. Virtuti istorum Medicamentorum adscribi potest superveniens ille placidus somnus, in quo totam noctem Infirmi traduxerant, præsertim verò copiosus ille sudor, quam eadem nocte sunt passi, & qui pro Crisi istius morbi meritò haberi potest, ut adeò sanatio hæc, etsi in instanti, & illico fuisset secuta, pro naturaliter obtenta nihilominus haberi possit,

teste Paul. Zacch. *qq. Medic. Leg. l. 4. tit. 1. q. 8. n. 10.*

ubi

115.  
Argumenta  
contra Mi-  
raculum.

116.

117.

ubi dicit, *Sanationes, qua referri possunt ad opus naturæ, ut maxime sunt ea, quæ cum Crisi fiunt, & præcipue insignis alicujus evacuationis, non esse existimandas de facili miraculosas.*

118.

4. Medicinis adhibitis accessit sanguinis missio, quæ est remedium febris effervescenti pellendæ accommodatissimum, præsertim attento ipso Infirmorum temperamento, quod juxta testes fuit Cholericæ-Sanguineum. Fuit autem sanguinis missio sæpius durante morbo, & quidem in Bartholomæo octies, imò biduo ante sanationem repetita. Hinc fieri potuit, ut per Phlebotomiam portione sanguinis detractâ, id, quod reliquum fuit, & ob humidi lymphatici, per continuam febris effervescentiam consumpti, defectum in venis stagnabat, concitatius motum, & à liberioribus jam spiritibus subtilizatum, felici tandem sudore morbum terminârit.

119.

5. Nihil pro Miraculi approbatione servit, quòd bini fratres eodem morbo laboraverint; nam si omnes maligna, & contagiosa febris invadere potest, nullibi citius contagium hoc valet diffundi, quàm inter fratres, quorum cohabitatio est continuâ, temperamentum simile, victus idem: inde si eodem tempore, & eodem morbo simul ambo naturaliter ægrotare, etiam convalescere valuerunt, maxime cum sanatio in utroque contigerit die 14 à morbo contracto, ut deponit Testis 8. in Processu, instituto autoritate Ordinaria, & testis nonus examinatus in Processu facto autoritate Apostolica. Est autem dies 14. in febribus malignis dies Criticus, quo die exploratum est apud Medicos, naturaliter posse cessare febriem,

ut advertit Galen. *Aphor. comm. 23. & de dieb. decretor. in Epitom. l. 2. §. pari modo. Matta de Canoniz. Sanct. p. 3. c. 18. sect. 3. n. 183.*

Hinc erronea convincitur esse depositio Patris ægrotorum, ubi ait, morbum in Bartholomæo durasse circiter per mensem, in Francisco per viginti circiter dies, & sic Sanationem non contigisse diebus criticis. Denique

120.

6. Naturaliter contigisse sanationem suadet, quòd in sanatis perseveraverit lassitudo, & debilitas virium, ob quam in lecto adhuc per triduum cogebantur decumbere: sicque deficit Instantaneitas, quæ in hoc tertio genere Sanationum est essentielle constitutum Miraculi. Hinc etiam testis octavus dicit, manè altero apparuisse infirmitatem mutatam, nec ausus est dicere sublatam. Quare, his omnibus consideratis, sanatio hæc non inter Miracula (quippe quæ vires omnium rerum creaturarum excedere, & ad solius DEI Omnipotentiam pertinere debent) sed inter beneficia solum referenda videtur.

Scacch. *de not. & sign. Sanctit. sect. 8. c. 1. sub lit. B. pag. 566.*

R. P. Schmalzgrueber *Consil. Tom. 1.*

His argumentis opponunt Postulatores sequentes Responiones. Ad 1. Scientia de qualitate morbi, ut dictum est ad Miraculum 1. Potius exigitur ad hoc, ut possit distingui, cujus generis sit Miraculum; quàm ad ejus substantiam. Potest autem notitia haberi de qualitate morbi per hoc, quòd testes deponant de statu morbi secundum extrinseca, & ea, quæ cadunt sub sensum visus; nam ex his facile Medicus Peritus, etiam qui curæ non interfuit, colligere poterit, qualis morbus fuerit, & an sanatio ejus supra naturam vel quoad subjectum, vel quoad modum solummodo fuerit. Explicarunt autem in Casu præsentis testes circumstantias morbi, quo detinebantur ambo fratres, ita, ut satis pateret Morbi qualitas, & prodigiosa ejus sanatio: proinde non obest defectus testimonii Medicorum, adhibitorum pro cura. Imò neque istud deficit; nam quid Medici isti senserint de statu morbi, aperte constat non tantum ex depositionibus istorum, factis in Processu autoritate Ordinaria, sed etiam ex depositionibus quatuor testium, in Examine autoritate Apostolica instituto, istud de auditu proprio ex ipsis Medicis referentium: qui proinde, cum deponant de re pertinente ad sensum auditus, plenam, & superabundantem fidem mereri sunt æstimandi.

121.

Respondetur ad argumenta opposita.

Ad 2. Febri malignâ duos istos Ægrotos laborasse, satis ostendunt Pustulæ venenatæ, quæ corpora eorum obsederant. Neque obest, quòd Testes non dicant explicitè, salutem infirmorum fuisse desperatam à Medicis; nam id ipsum asserunt per æquipollens, dum dicunt, adhibitas fuisse cum summa cura Medicinas omnes, has verò nihil fuisse operatas: hinc Medicos (consueti scilicet istorum more, ne veritate aperte dictâ Infirmos terreant) pronuntiassè adesse periculum vitæ. Quid tamen de sanatione, & statu morbi ipsimet senserint, satis declaraverunt, dum alterâ die redeuntes, (prout ex Testium unanimi depositione habetur) sanationem Miraculo adscripserunt: quod judicium ferre non potuissent, nisi status morbi eò crevisset, ut nec naturæ, nec præcedentium Remediorum vi sanatio contingere potuerit. Imò unus ex duobus fratribus sanatis, Bartholomæus in Processu, instituto autoritate Ordinaria, testatur, unum ex Medicis declarasse, morbum esse lethalem, & propterea necesse esse, ut Infirmi provideantur ultimis morientium Sacramentis: adeoque habetur etiam circumstantia, à Reverendissimo Promotore fidei in hoc Argumento desiderata. Quòd verò idem testis circumstantiæ istius in Processu Apostolico non meminert, obesse non debet, sedtribuendum illud est lapsui temporis, inter unum, & alterum Processum lapsi, & præcipue, quia in Processu Apostolico de hac circumstantia interrogatus non fuit. Præsidia, in Casu præsentis adhibita per Artem Medicam, partem

122.

H h h h h 2

all-

aliquam in sanatione ista habere non possunt, cum ex omnium testium depositione constet, nihil per illa fuisse effectum, sed potius morbum ipso sanationis tempore in maximo suo robore extitisse: consequenter Medicamenta ista haberi debent pro non adhibitis.

123.

Ad 3. Somnus ille Medicamenti adscribi non potest, quippe quæ causare illum non valebant præcedentibus diebus ægritudinis, dum adhuc morbus in incremento fuit. Multò igitur minus causari ab ipsis potuit, dum ipse morbus constitit in summo robore: constat autem ex unanimi depositione testium, Infirmos, vigente morbo, nunquam vel ullam partem quietis capere potuisse, non obstantibus Medicamentis adhibitis. Igitur nec somnus ille placidus, qui Ægrotis nocte, post applicatam B. Turibii Imaginem sequente, obortus est, Medicamentorum istorum effectus fuit. Idem dicendum de sudore; cum enim iste, ut testes fatentur, sæpius Medicamentorum ope tentatus fuerit, nec tamen unquam antea obtineri potuerit, istorum virtuti attribui ille nequit: consequenter applicatæ Medicinæ non tollunt Miraculum, sed potius confirmant,

juxta doctrinam Card. de Laur. D. 20. de Miracul. art. 21. n. 887.

ubi: *In omni Miraculo, inquit, cujuscunque generis, si intervenerit naturalis aliqua actio, vel motus, qui non sit de se effectivus eventus inexpectati, si hic accidat ex Invocatione alicujus Sancti, vel applicatione Reliquia, dummodo adsint alia requisita ad Miraculum, actio illa, vel motus non efficit, quin eventus ille sit Miraculum.* Neque obstat, quod somnus iste, & sudor plurimum prodesse potuerit ad extinguendum ardorem febris; sæpissime enim DEUS ad patranda Miracula utitur naturæ Instrumentis, ut probat

Joan. Bapt. van Helmont de Magnet. vuln. curat. n. 46. pag. 461. & consentiunt Auditores Rotæ in Relatione Canonizationis S. Francisci de Paula §. du-bitandum. Contelor. c. 17. n. 20.

uterque proin, cum causam naturalem non habuerit, dicendus erit fuisse initium Miraculi. Quare huc non servit dictum Pauli Zacchiæ, in Argumento hoc allegatum. Quòd verò nec somnus, nec sudor pro Crisi morbi haberi possit, opportunitus ostenditur infra in Argumentis, pro præsentì Miraculo.

124.

Ad 4. Ex ipsa sectione venæ clarius effulget Miraculosa, & subitanea sanatio, in hoc Casu secuta, nam venâ fuit secta tantum Bartholomæo, ut ipse testatur, non autem alteri quoque fratri Francisco. Cum ergo Infirmi eodem morbo, iisdemque Symptomatis cruciarentur, si sanatio contigisset ex sanguinis missione, sanari debuisset tantummodo Bartholomæus, non etiam, & eodem modo, ac tempore Franciscus, alter

Infirmus. Quin imò hoc, quòd ob majorem debilitatem, quæ post sanationem ipsi remansit, Bartholomæus tardius electo surrexerit, quàm Franciscus, probat, non sanguinis missionem, sed patrocinium Beati ambos Infirmos sanitati restituisse: quod confirmatur ex inutilitate hujus remedii in Bartholomæo, in quo, non obstante repetitâ sanguinis missione, semper tamen aucta est effervescentia febris; ut proinde dicere necesse sit, malitiam morbi graviolem fuisse, quàm ut per missionem sanguinis sedari potuerit. Simili modo terminare morbum non potuit evacuatio per sudorem, ultimâ nocte erumpentem; nam sudor invasit solummodo unum ex sanatis, scilicet Bartholomæum. Igitur juvare nequivit Franciscum, qui, licet non sudaverit, tamen eodem modo, & tempore convaluit: consequenter hujus saltem sanatio per Miraculum obtenta est: Si autem uterque sudavit, sudor hic non potuit habere rationem Crisis; nam modicus fuit; ut verba testium indicant *con una sorte di sudore*, &, ut commune Principium Medicum sonat, *Nihil modicum Criticum*, cum debeat evacuationis quantitas proportionari magnitudini morbi gravissimi: quin potius Hippocrates pluribus in locis sudatiunculas exiguas in morbis tanquam perniciosas damnat.

Ad 5. Discordantiam circa diem sanationis produxit intervallum temporis, quod inter unum, & alterum Processum intercessit. Cæterum, quòd eadem sanatio non potuerit contingere die Critica naturaliter, ex præcedentibus signis colligitur; nam, ut Bartholomæus unus ex sanatis in Processu Episcopali deposuit, illa contigit, cum secundum signa exteriora major, quàm unquam, periculi vitæ certitudo fuit. Deinde dies Critica per se repellere nequit morbum, sed requiritur, ut tali die eveniat Crisi, quæ bona, vel mala, vel mediocris succedere solet in diebus hujusmodi, qui propterea à superveniente Crisi appellantur Critici, ex traditis.

per Sennert. *Inst. Medic. lib. 3. p. 3. c. 11. de dieb. Critic.*

Proinde, cum ex dicto testium pateat, die decimoquarto nullam intervenisse Crisim, sed absque eâ Infirmos convaluisse, talis sanatio tribui nequit diei Critico,

ut optimè docent Auditores Rotæ in Relatione Canonizationis B. Pii V. *Mirac. 6. post mortem. §. nec obstat.*

Ad 6. Aliud est præservari aliquem ab imminente mortis periculo, aliud restitui sanitati. Præservatio à mortis periculo Miraculosa esse potest, si periculum istud cesset, licet nondum cesset Infirmitas, ut expendendo exemplum filii Reguli apud Joan. 4. bene considerat

Card. Laur. *disp. 20. art. 20. n. 872.* ibi: *Fieri potest, ut quis in articulo mortis positus, & omnino desperatus, per intercessionem*

*alicujus Sancti, invocati vel à Patiente, vel à circumstantibus, vel per applicationem Reliquia, à morte præservetur, & tamen à morbo, putata maligna febris, aut lethalis vulneris, aut pestis non statim curetur: tunc non officit, si statim sanatio non obtineatur.* In Casu præfenti saltem cessavit præfens periculum vitæ: proinde, licet febris maligna adhuc persistisset post invocationem B. Turibii, adhuc Miraculum obtineret locum. In re ipsa autem non tantum malitia morbi, sed etiam ipse morbus statim recessit, quod inde colligitur, quia ambo infirmi post admotam Beati imaginem nullo profusus Remedio indiguerunt, prout unanimiter testes omnes affirmant. Neque obest, quod remanserit aliqua virium debilitas, quæ dein est successivè sublata; tunc enim aptari potest exemplum Regis Ezechia, quem Isaias sanavit, dicens in persona DEI: *Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, & ecce sanavi te: die tertio ascendes templum Domini.* 4. Reg. 20. v. 5. ex quo colligitur, non fuisse Regi huic illi-co restitutas vires ad ambulandum, sed primum post triduum. Nihil igitur derogat Miraculo, si remaneat aliqua morbi Reliquia, vel debilitas, præsertim quando agitur de Miraculo illius, cujus Sanctitas est certa, & infallibili judicio Ecclesiæ declarata, ut annuere videtur Card. Laur. *art. 20. cit. n. 881.* ibi: *præsertim si asseratur ab aliquo Servo DEI Canonizato parvata, & confirmant Auditores Rotæ in Relatione Canonizationis S. Mariæ Magdalena de Pazzis Mirac. 7. in Vita. Si nec aliquod. & in Relatione Canonizationis S. Andrea Corsini apud Lezan. consult. 1. n. 193. §. quod tamen. Contelor. c. 17. n. 16.*

sed sufficit, quod vis morbi in instanti tollatur; quia, ut ex Avicenna Auditores Rotæ in dicta Relatione S. Mariæ Magdalena de Pazzis *Mirac. 7. in Vita, & Mirac. 3. post obitum S. hac sanatio.* notant, *non potest natura in instanti sanationem operari, sed omnis alteratio, & mutatio per ipsam fit in tempore.*

Has Responsiones corroborant Postulatores sequentibus Argumentis. Videntur Extrema hujus Miraculi cum Invocatione B. Turibii abundè probata. Nam 1. Morbus fuit maligna febris, quod manifestè deducitur ex virium summa prostratione, dolore intensissimo capitis, vigiliis, & pustulis venenatis; quæ omnia ex testium depositione certa sunt, & omnium AA. consensu evidentes notæ malignitatis. Accedebat Pleuritis, quæ & ipsa necessariò maligna erat, utpote ab iisdem humoribus genita, quibus totum corpus inficiebatur. Atqui morbi nulli, & multò minus vehementiores, magisque periculosi, ut sunt malignæ febres, terminari possunt sine remediis ar-

tis Medicæ, aut naturæ per se operantis auxilio. In præfenti autem Casu

2. Nec artis Medicæ remediis, nec naturæ per se ipsam operantis auxilio adscribi sanatio duorum Infirmorum potest. Non remediis Artis Medicæ; quia expressè fatentur, & confirmant omnes Testes, nullum fuisse Remedium applicatum, quod potuisset vim morbi adeò vehementis infringere, imò, non obstante solerti Medicorum curâ, morbum semper cepisse augmentum, ita, ut tempore sanationis consisteret quasi in statu summo. Non etiam naturæ per se operantis auxilio; quia ista morbum superare non potest, nisi huic prævaleat. In hoc autem casu natura prævalere morbo non potuit; nam robor, & prædominium naturæ supra morbum cognoscitur vel ex Symptomatum mitigatione, vel ex humorum morbificorum coctione: quod utrumque defuit in casu; nam vigere pergebat morbus, ejusque Symptomata. Igitur potius naturæ prævaluit morbus, non isti natura, quæ proinde, cum juvari non potuerit ab Arte Medica, necessariò debebat succumbere: consequenter in his ægrotantibus tempore, quo sanatio contigit, naturaliter ista expectari non potuit, præsertim quia

3. Hæc ipsa sanatio subsecuta est tempore incongruo; Natura enim solet morbos terminare in diebus Criticis, quos Criticos, seu Judicarios propterea appellant Medici; & tales sunt omnes septenarii in morbis acutis, qui quadragesimam diem non excedunt, idèque 7. 14. 21. 27. 34. vel 40. quibus diebus natura morbos fideliter superat, & vincit: si verò in aliis diebus terminat, plerumque morbos non integrè solvit, sed cum periculo recidivæ. Unde cum in nullo ex his diebus sanatio subsecuta sit, sed unus sanatus sit vigesimo, alter trigesimo circiter die, sanatio adscribi non potest diei critico. Accedit, quod natura regulariter non superet morbos, ab humorum vitio, aut fermentativa corruptione pendentes, sine eorundem à bonis separatione, & vel sensibili evacuatione Critica, vel in aliquam partem depositione, abscessum, aut Apostema, vel aliud quidpiam simile causante. Atqui nullum ex his observatum fuit, ut patet ex depositionibus negativis omnium unanimiter testium. Sudor quidem obortus dicitur ipsa die sanationis; sed

4. Hic ipse sudor, in quo altera die Ægroti reperti sunt, ad speciem Crisis reduci non potest; nam 1. Sudor iste tantum notatus est in uno ex sanatis, ut annotatum est *Num. 124.* Igitur necesse est fateri, saltem alterum, qui non sudavit, per Miraculum sanatum fuisse. 2. Si Sudor ponatur contigisse utrique Infirmo, is fuit exiguus, consequenter juxta dicta ex Hippocrate *Num. 124. cit.* potius fuisset noxius. Insuper 3. Non est perceptibile, quomodo in diversis individuis, inæquali tempore decumbentibus

128.

129.

130.

II h h h 3

127.  
Argumenta  
pro Mira-  
culo.

bentibus eadem causa Crisis uniformis concurrere, eundemque effectum producere potuerit. Accedit quia 4. Quando Morbus terminatur per Crisim, quies, & paxatio omnium inquietudinum, & Symptomatum sequitur post Crisim, non Crisim antecedit: imò Hippocrates docet in terminis, *Quibus Crisis sit, his nox gravis ante accessio- nem, qua verò subsequitur, levior est.* In præ- senti autem Casu Sudorem præcessit nox quietissima, Sudor verò de mane erupit. Igi- tur Sudor iste non potest haberi pro Crisi, nisi velimus admittere, quòd effectus præ- cesserit causam suam, quòd admittere apud Philosophos absurdum est. Denique

131.

5. Statim post applicatam Imaginem B. Turibii, & invocatum ipsius auxilium, quando à biduo nulla amplius adhibita sunt Medicamenta, sed acerbius sæviebat mor- bus, ita, ut Medici Infirmorum salutem pro desperata haberent, supervenit repen- tina quies, somnus placidissimus, cessatio Febris, totiusque morbi, perfectaque Sa- natio absque ulla in priorem infirmitatem reincidentia: quæ omnia per legitimas Tes- tium depositiones probantur. Proinde concludendum est, Sanationem utriusque Infirmi, cum naturalis istius nulla reperia- tur, à causa supernaturali fuisse inductam, quæ cum nulla alia adsit, quàm invocatio B. Turibii, ab hujus Intercessione, & Meri- tis profecta recognosci debet. Atque hoc fuit iudicium inconcussum utriusque Sanati, horum Fratris, & Patris, utriusque Medici pro cura adhibiti, omniumque Domesticorum: quorum iudicio in Relatione sua, super Miraculum istud deposita, se conformat Doctor Manfredi, in Peritum electus; nec sine exemplo; nam Sacra Congregatio hu- jusmodi Sanationes non semel pro Miracu- losis habuit.

132.

Censura de  
Miraculo

4.

In hoc Miraculo non satis constat, quòd die à Morbo contracto, Sanatio contigerit; nam aliqui ex Testibus hanc contigisse ajunt die 14. quæ cum Critica sit, dubium relin- quitur, an non naturæ viribus subsecuta il- la sit, præsertim cum dubitari possit, an fe- bris statim post applicationem Imaginis Bea- ti, hujusque Invocationem recesserit, an ve- rò solum post somnum eà nocte continua- tum, & subsecutum sudorem, qui proinde sudor in Hypothesi, quòd Sanatio hunc pri- mum subsecuta sit, potuit esse Crisis natu- ralis, per Medicamenta, biduo antè appli- cata, procurata. Argumenta quidem, pro hoc Miraculo producta, efficacia satis sunt; sed non omnino evidenter convincent. Vi- detur igitur, Miraculi istius, etsi fortè ve- ra tale sit, pro decernenda Canonizatio- ne rationem haberi non posse, præsertim cum alia adsint fortius comprobata.



## MIRACULUM V.

## Sanationis Hemorrhagia.

Eodem Anno 1684. in Collegio S. Turi- bii Limæ, Matthæus de Roxas, & A- guero, navabat operam Literis. 133. Quodam mane manare Sanguinem cœpit e naribus, & maxime ex sinistra, adeò vehementer, & abundanter, ut sanguis, qui fluxerat, quasi lacum efficeret in pavimento. Cum hoc vidissent Sodales Collegii prædicti, Infir- mum circa octavam horam post mediam noctem visitantes, misero hoc aspectu per- territi, applicarunt Remedia domestica om- nia, quæ poterant, hisque nihil proficien- tibus, vocarunt Medicos, & Chirurgos, qui tunc temporis Collegii domum forte præ- terierant, ut opem in sanguine sistendo fer- rent. Applicarunt hi Remedia, ad hunc ef- fectum congrua, & ex eorum præscripto vena secta Ægrotò est. Sed quia Medica- menta nihil profecerant, imò ex eis, & præ- fertim ex sectione venæ vires labi incipie- bant, sualum Ægrotò est, ut Sacra Confes- sione animam expiaret; omnes enim agno- verunt, gravissimum esse periculum ob quantitatem effusam sanguinis, & præcipue, quia ex sinistra parte narium vehementius perfuebat, quòd omnes dixerunt esse le- thale.

134.

In hoc rerum articulo circa meridiem eum invisit Rector Collegii, & periculum videns, attulit Reliquiam B. Turibii, quam ei flexis genibus applicavit primò ad fron- tem, dein appendit collo, cum monito, ut cum omni fiducia ejusdem Beati patrocinium imploraret. Et ecce! repente sanguis, qui eo ipso tempore uberrimè manabat, re- pressus est: ita, ut vix guttulæ interpolatæ manarent. Credebatur tunc salva res esse. Hinc restituta Reliquia fuit Rectori. Sed mirum dictu! illico rediit sanguinis, & co- piosior quidem fluxus, qui deinde, admotâ denuo Reliquiâ, & ferventiùs Beati præ- sidio implorato, protinus, & ex integro se- se stitit, ita, ut eodem vespere Juvenis re- pertus fuerit integris viribus restitutus, abs- que ullo accidente, ex priori debilitate resi- duo, cunctis, præsertim Medicis, obstu- pescentibus, ut referunt novem Testes ocu- lati: qui proinde Sanationem pro Miraculo habuerunt, quorum Iudicio se conformarunt Medici; nam quando hi redierunt ad Æ- grotum, hausta rei notitiâ, confessi sunt, Sanationem istam vires naturæ excedere, & effectum esse Intercessionis Beati, applica- tionisque Reliquiæ. Ita præter alios Testis est ipse Sanatus, qui & ipse juxta illud, quòd partim ipsemet vidit, & expertus est, partim quòd audivit à Medicis, & aliis, ad facti novitatem spectandam accurrentibus, hæc confirmat, fateturque, se rem istam tenere, semperque tenuisse pro Miraculo, addit-

additque, pro tali illam habitam esse ab omnibus, qui facti istius habuerunt notitiam.

135.  
Argumen-  
ta contra  
Miraculum

Contra istud Miraculum opponitur 1. In specie hujus Facti dicuntur adesse Testes novem oculati, & de visu proprio: quod non videtur omnino veritati congruere, saltem respectu utriusque Extremi. Nam 1. Testis decimus tertius ex depositione sua non detegitur esse de visu, nisi sub initium fluxus Sanguinis, sub quo vidit Chirurgum Josephum de Sarabia ingredi ad Infirmum: cæterum quoad accessum aliorum Medicorum, & secundum Extremum est tantum de auditu, ut ipse fatetur. Similiter 2. Quo ad idem secundum Extremum, & Invocationem de auditu solum est Testis 15. licet quoad primum sit de visu. Pariter 3. Testis 16. in rei veritate non fuit præsens actui ipsi Sanationis, cum ex contextu depositionis, ab ipso factæ, appareat ejus absentia per sex horas, sub quibus dicta Sanatio contigit.

136.

2. Intercedit etiam aliqua inter Testes contradictio; nam tres Testes, nempe 12. 13. & 14. memorant tantum de una applicatione Reliquiæ B. Turibii Infirmo factâ, adduntque post ejus applicationem cessasse violentum Sanguinis fluxum, & solum guttatim aliquando fluxisse: imò Testis 13. & 14. qui est ipse Rector Collegii, deponunt, & asserunt, Sanguinis fluxum statim in totum cessasse. Contrâ verò Testis 15. & 16. qui sunt duo Medici curæ, in Examine, instituto Autoritate Apostolica, necnon Testis 11. 12. & 46. qui est ipse Sanatus, examinati Autoritate Ordinariâ, deponunt de bina applicatione Reliquiæ, adduntque, post primam iterum Sanguinem fluxisse, & quidem majore copiâ, & impetu usque ad deliquium Patientis, donec tandem, rursus applicatâ eadem Reliquiâ, Sanguinis fluxus omnino cessaverit: de qua circumstantia Rector Collegii in sua depositione siluit.

3. Alia etiam Contradictio detegitur inter depositionem Sanati, factam in Processu Episcopali, & inter depositiones Testis 11. & 12. qui eo tempore & ipsi in eodem Collegio vacabant Literis; nam Sanatus deponit, quòd, postquam ad primam applicationem Reliquiæ Sanguinis fluxus cessavit adeò esse vehemens, eadem Reliquia, ad petitionem Rectoris, huic fuerit restituta; de novo autem missa fuerit, quando idem Sanguinis fluxus cum majori vehementia rediit, ac tum demum sanguis totaliter stiterit. Duo verò allegati Testes dicunt quidem, quòd ablatâ ab Ægroto Reliquiâ, redierit sanguinis fluxus cum magnâ violentiâ, ita, ut Infirmus clamore valido invocaverit B. Turibium, & Reliquiam sibi denuo applicari petierit; non tamen faciunt mentionem, quòd eadem Reliquia prius restituta Rectori fuerit, & ob hoc, ad factam ab Infirmo sollicitam instantiam, missa iterum fuerit. Hinc

4. Quia in hac iterata applicatione Reliquiæ, & instantanea cessatione fluxus sanguinis, postquam eadem Reliquia secunda vice cum Invocatione ferventiori per Infirmum est applicata, consistit ratio Miraculi, necesse est, ut eadem secunda applicatio concludenter probetur. Non autem sic est probata; quia, licet Testis 11. & 46. ex certa scientia de illa deponant, tamen, quia non sunt repetiti in Processu Apostolico, servire unice pro adminiculo possunt, cujusmodi adminicula nihil probant, nisi concurrant alii Testes, deponentes de eadem circumstantia duplicis applicationis, qui sint validè examinati Autoritate Apostolica. In præsentem autem Casu de duplici applicatione in Processu Apostolico deponunt solummodo duo Medici, quorum unus id refert ex Relatione Rectoris Collegii, qui tamen de hac circumstantia in sua depositione nullam facit memoriam; alter verò non reddit causam suæ scientiæ, quòd fuerit ipse præsens; imò ex tenore depositionis ab ipso factæ potius apparet, quòd id acceperit ab ipso Sanato. Et esto, Probatio utrinque plena subsisteret, adhuc dubitari posset de Relevantiâ; nam

137.

5. Hic fluxus Sanguinis duravit duntaxat brevi octo, vel ad plus decem horarum spatio, non fluxit ex magna aliqua vena, sed ex naribus, nec in majori quàm ad summum trium librarum quantitate, comprehenso etiam illo, qui per venæ sectionem extractus est, ut deponit Chirurgus testis 16. Autoritate Ordinaria examinatus. Atqui hac exigua quantitas, sic effusa, non fuit apta Infirmum hunc interimere; nam,

138.

ut Zaccutus *Prax. Medic. admirand. lib. 1. obs. 72.* testatur, ipse curavit mulierem gracilem, & excarnem, quæ intra septem dies ad triginta libras Sanguinis per nares emiserat; & Riverius

*Prax. Med. lib. 4. c. 7. pag. 1239. col. 2. ¶ Zaccutus.* refert, eundem Zaccutum curasse etiam Septuagenariam debilem, cui septendecim sanguinis libræ effluerant: multos etiam per hujusmodi Hæmorrhagias, à gravissimis morbis immunes fieri, ait idem

River. *l. cir. ¶ Hæmorrhagia, & duob. seqq. pag. 3. col. 2.*

additque, ex hac ratione Galenum Juveni Romano, Hæmorrhagiâ laboranti, sanguinem fluere permisisse usque ad libras quatuor cum dimidia, priusquam Remedia, sanguinis fluxum cohibentia, applicaret. Imò Medici nonnunquam studio pro curando alio morbo magnam sanguinis copiam Ægrotis excernunt: & sic

Nicolaus Tulpius *fol. 2. pag. 195.*

Puerperæ octies venam, secuit, quæ tamen, etsi ingens alvi profluvium supervenerit, vitæ periculum propterea passa non est. Non igitur tres libræ per nares effusæ nimia quantitas dici debet, ut ob hanc effusionem eam

patiens

patiens de vita periclitari dicendus sit, præfertim si (ut in præsentī Casu) ille Juvenis adhuc sit, quippe cum ut plurimum Juvenes abundant Sanguine etiam ad 24. libras.

139.

6. In præsentī Casu ad Hæmorrhagiam cohibendam adhibita sunt aptissima remedia, & inter hæc geminata venæ sectio, quæ, ut ex Galen. *libr. de sanguin. mission. c. 11*, testatur River. *l. cit. §. ac primum*, & confirmat Zaccut. *prax. lib. 1. obs. 72*. cum Sennert. *sect. 4. c. 4. §. Curatio. §. quoad specialia*,

principem locum inter Remedia ad talem effectum obtinet. Neque obstat, quod Remedia hæc non fuerint illico operata; potuerunt enim optimè operari insensibiliter, & successivè intra breve illud horarum curriculum.

140.

7. Multum etiam addere potuit ad sistendum Sanguinem superveniens Ægroto deliquium; nam deliquium est cohibitivum Sanguinis,

ut ex Hippocrate, & Galeno refert River. *l. cit. §. sed multo*.

Hinc à Medicis pro infallibili hujus affectus remedio commendatur,

ut habetur ex Hippocr. *l. 3. Epid. sect. 7*. Galen. *3. Method. c. 5*. River. *c. de Hæmorrhag. Dolæo c. 18. de Hæmorrhag. pag. 269. §. totum sanguinem*. Ettmüll. *c. de nar. Hæmorrhag. pag. 155. §. quoad priorem*. Capivacc. *l. 1. de nar. Hæmorrhag. pag. 155. §. quoad materias*. Christoph. Vega. *l. 3. c. de Morb. nar. pag. 435*. Bonet. *Mercur. Compilat. pag. 332. n. 37*. Mercat. *tom. 3. l. 1. pag. 156. §. quib. flux.* Spiegel. *de mot. cord. & sanguin. c. 9*.

141.

Confirmat absentiam periculi mortis; quia 8. Vires Ægroto nulla ex parte fuerunt perditæ: imò constitissent illæ, etiam si quatuor libræ sanguinis effluxissent,

River. *l. cit. c. 7. §. in Hæmorrhagia curatione*. Savonarol. *prax. Medic. tract. 6. c. 5. de Ægrot. nar. §. causa. pag. 95*.

ibi, *Aliquando egreditur quantitas major librarum quatuor, & non debilitatur ager*.

9. Denique videtur in hoc Casu deesse Instantaneitas Sanationis; nam primò guttatim manare incepit sanguis, deinde post secundam Reliquiæ applicationem fluxum omnino stitit.

RESPONSIO ad hæc Argumenta congruè dari potest.

142.

Ad 1. Ex allegatis in hoc Argumento tribus Testibus saltem probatur plenè primum Extremum; nam omnes quoad illud Extremum sunt de visu: Testis 13. quidem; quia ille vidit initium fluxus sanguinis, & fuit præfens, quando Chirurgus, mortiferum agnoscens morbum, Sacramentis Ecclesiæ muniri Patientem jussit: Testis 15. autem; quia, ut alter ex Medicis curæ, morbi qualitatem plenissimè inspexit ipsemet: Testis 16. denique Chirurgus; quia similiter fusè narrat de facto, & visu proprio idem primum Ex-

tremum. Neque obstat, quod hi tres Testes non sint similiter Testes de visu respectu Invocationis, & secundi Extremi; nam ex communi doctrina sufficit unum Extremum probari per duos Testes de visu, & alterum Extremum ab aliis duobus. In nostro Casu tam Invocatio, quam utrumque Extremum, etiam præscindendo à testimonio trium istorum Testium, plenè probatum extat; habetur enim eorum Probatio ex aliis sex Testibus de visu, scilicet 12. 14. 17. examinatis in Processu Apostolico, 11. 12. & 46. in Processu Ordinario: quibus administratum grande usque ad plenissimam Probationem etiam quoad Invocationem, & secutam Sanationem addunt tres Testes prædicti, quippe qui de utroque deponunt ex auditu videntium, qui ubique non aliter rem narrasse credendi sunt, quam illa contigerit.

143.

Ad 2. Testes, in hoc Argumento allegati, nec fuerunt, nec potuerunt esse præfentes secundæ applicationi Reliquiæ, post iteratam Hæmorrhagiam factæ, & Sanationi post hanc immediate secutæ; quia vel penitus discesserunt, ut fecerunt Medicus, & Chirurgus, vel erant in rebus, & Functionibus Collegii occupati: ut adeò mirum non sit, quod de hac secunda applicatione nihil dixerint. Cæterum de hac secunda applicatione, & subsecutâ totali Sanatione deponunt duo Collegiales eo tempore præfentes, & Testes contestes de visu: quod sufficere debet, cum in ore duorum, vel trium Testium stet omne verbum, præsertim, cum accedat testimonium ipsius Sanati. Neque obstat, quod iste cum memoratis duobus Collegialibus fuerit solum Authoritate Ordinaria examinatus; quia cum habeantur depositiones aliorum Testium, repetitorum Authoritate Apostolica, qui faciunt talem qualem Probationis gradum, tanquam deponentes ex auditu Testium de visu, Authoritate Ordinaria auditorum, propterea standum est eorum testimonio ad effectum supplendi Probationes in eo, in quo deficiunt Testes, Authoritate Apostolica inducti: quod eò facilius fieri potest, quia hi ipsi etiam Testes respectu Sanationis possunt dici esse de visu, quatenus scilicet paulò post invisentes Ægrotum, hunc plenè restitutum suismet oculis conspexerunt.

144.

Ad 3. Parum interest ad Miraculum, an Reliquia de novo petita sit à Rectore, an verò remanserit apud Infirmum; nam hæc circumstantia miraculum nec auget, nec minuit, utpote cum sit circumstantia merè accidentalis, in qua contradictio non attenditur, si qua circa talem circumstantiam invenitur in Testibus, modò isti concordent in substantialibus. Minus nocere debet, si non omnes de omnibus, quæ ab aliis Testibus afferuntur, deponant, quod iis non interfuissent; quia sufficit eos testari de his, quæ

contigerunt tempore illo, quo presentes fuerunt, ut egregie docet

S. Antonin. *Summ. p. 3. tit. 9. c. 11. pag. 133. §. 2. col. 4.* Cuman. *conf. 17. n. 1.* Spada *conf. 101. n. 29. libr. 3.* Farin. *de restib. q. 64. n. 233.* Rota *decis. 351. n. 23. & decis. 352. n. 31. coram Gregor. decis. 2109. n. 14. coram Coccino, decis. 624. n. 9. coram Buratt. decis. 20. n. 10. coram Bieb. decis. 57. n. 17. p. 7. & decis. 369. n. 9. p. 9. recent.*

145.

Ad 4. Vis Miraculi non consistit in circumstantia redeuntis fluxus, & denuo applicata Reliquia, sed in utroque Extremo, & Invocatione. Unde cum hac plene probentur ex testibus, autoritate Apostolica examinatis, ad circumstantiam illam leviores probationes sufficiunt: ideoque eam corroborant dicta trium testium oculatorum, examinatorum in Processu Episcopali, junctis aliis duobus, exceptis in Processu Apostolico, quamvis sint de auditu, ex claro Juris Axiomate, quod, ubi substantia plene probata est, accidentia non exigant rigorem probationis.

Rota *decis. 324. num. 4. coram Gregor. decis. 461. n. 10. p. 14. decis. 296. n. 6. & 7. part. 16. & decis. 557. n. 16. p. 18. recent.*

Quod Rector non explicaverit in depositione sua hanc circumstantiam iteratae applicationis Reliquiae, obesse non debet; quia applicationi huic praesens non erat, & usque ad tempus, quo Processus Apostolicus est institutus, a tempore, quo Miraculum istud contigit, lapsi sunt anni omnino sex, ut proinde merito praesumi oblivio possit. Caeterum, quod idem Rector notitiam habuerit dictae circumstantiae, satis patet ex eo, quod Testis 15. in Processu Apostolico illam ex ore ejusdem recenseat: & forte in eodem Processu Rector de illa deposuisset, si super ea fuisset interrogatus.

146.

Ad 5. In ordine ad cognoscendam gravitatem consideranda non tam est quantitas temporis, sed vehementia, qua fluxit sanguis, & debilitas inde contracta. Habetur autem ex unanimi depositione testium, quod sanguis fluxerit intra spatium dicti temporis cum magna violentia, & abundantia, quodque ex hoc tantam debilitatem Infirmus contraxerit, ut omnes timerent de ejus vita, & ipse Medicus crederet adesse necessitatem providendi illum de ultimis Sacramentis. Neque obest, quod Chirurgus, qui est Testis 16. dicat, sanguinem effluxisse ad tres, vel paulo minus libras; nam hoc, ut ex testis istius depositione constat, intelligendum est de sanguine, quem ipse vidit exceptum vasis, mananti Infirmo suppositis; constat autem, longe majorem quantitatem effusam in terram, ita quidem, ut integrum quasi lacum in pavimento efficeret: insuper post discessum Chirurgi per plures horas pertexit manare sanguis. Proinde quantitas san-

R. P. Schmalzgrueber *Consil. Tom. I.*

guinis longe major esse debuit, quam trium librarum. Deinde quantitas sanguinis respectively ad periculum, & hujus magnitudinem non est pensanda ad stateram, sed comparative ad vires agrotantis,

ut egregie notavit Cornel. Cels. *l. 2. c. 9.* qui expendens antiquorum, & recentiorum sui temporis opiniones circa sanguinis missionem, quorum aliqui in senibus, alii in puerulis, alii in gravidis sanguinis missionem prohibebant, *Interest, inquit, non qua aras sit, nec quid in corpore intrus agatur, sed qua vires sint. Ergo si Juvenis imbecillis, aut si mulier, qua gravida non est, parum valet, male sanguis emittitur - cum praecipue in hoc ars sit, quod non annos numeret, nec conceptionem solam videat, sed vires aestimet.* Similiter nec a magnitudine, vel angustia vasis, per quod effluit sanguis, repetendum est ejus insigne, vel exiguum dispendium, sed a qualitate laesionis; nam per rupturam etiam in exili vase potest aperiri hiatus insignis ad maximam sanguinis copiam paucis momentis effundendam, adeo, ut qualibet secta vena, corpus universon sanguine exinaniri possit, ut Fossombronus in Relatione super hoc Miraculum notat, & probat exemplo cujusdem sui patientis, cui ipse sanguinis missionem ex pede praescripserat ad septem, vel octo uncias, per oscitantiam autem venam secantis quadrantis spatio septem, & amplius librae eruperunt; item puella cujusdam, cui pariter alius Medicus ex pede detrahi sanguinem jussit, confabulante autem cum circumstantibus Phlebotomo, minus, quam horae quadrante quatuordecim librae sanguinis effluerunt. Proinde in venarum conditione non est ponenda vis. Adde, quod in nostro Casu, ut ex depositione testium, praesertim Chirurgi, qui veluti Peritus plenum testimonium praebet, sanguis fluxerit non ex vasis ipsarum narium, sed e venis, & arteriis cerebri, ubi

juxta Sennert. *differ. 2. §. alia ex vasis.* periculosa est Haemorrhagia. Periculum auget defectio virium, quippe quae illam magis periculosam reddit,

teste Tozz. *Medic. pract. tit. de affect. nar. princ.*

ibi: *Quandoque tamen nocua observatur, praesertim cum immodica fuerit, virium languorem asserens.* Secuta autem in Calu nostro est tanta debilitas virium, ut, teste Medico, periculum Syncopis fuerit: proin, consideratis Aegroti viribus, etiam tres, vel quatuor librae nimiae fuerunt. Neque obest Zaccuti doctrina; nam ille ipsemet *c. de Haemorrhagia narium* magnam evacuationem appellat in Episcopo Lodovensi, qui quatuor horarum spatio duas sanguinis libras excrevit. Inter Exemplum, ex Zaccuto allatum, & Casum nostrum magna disparitas est; nam in hoc nostro sanguis manavit ex sinistra parte narium, ubi fluxus vehemens lethalis est, cum magna vehementia, & quantitate, intra

I i i i i

breve

breve tempus, intra quod applicari non poterant omnia remedia aliàs idonea: & sic sanguinis fluxus ad applicationem Reliquiæ statim constitit, virèsque deperditæ eodem momento redierunt integræ. Contra in Exemplo Zaccuti non constat, quòd sanguis manaverit ex sinistra parte narium, nec ille fluxit cum tanta vehementia (aliàs intra septem dies debuisset effluere longè major, quàm 30. librarum quantitas) insuper sanatio non ex applicatione Reliquiæ, sed ex Medicamentis adstringentibus, per septendium illud applicatis, præsertim cauterio facto, ut idem Author *ψ. hac ergo.* narrat, secuta est, neque constat, quòd Patiens statim recuperaverit vires pristinas. Eadem est ratio Exempli secundi, ex eodem Zaccuto relati à Riverio. Consequenter de nostro Casu non est ferendum idem, quod de illis Exemplis, judicium, cum diversitas circumstantiarum qualibet Casum mutet.

*Gloss. in Extrav. Antiqua. Joan. XXII. V. censendum.* Hinc rectè Aug. de Doctr. Christian. l. 3. c. 12. pag. 64. post med. tom. 3. Facta, inquit, judicantur ex circumstantiis; & Bernard. Epist. 73. in similibus, scribit, factis causa dissimilis simile recusat judicium.

Ad id, quod additur, multos per hujusmodi Hæmorrhagias à gravissimis morbis immunes fieri, distinguendum est inter causas, & originem Hæmorrhagiæ; nam aliquando producitur à Crisi, quam facit natura ad expellendum morbum, aliquando ex Symptomate, quo casu morbi, vel potius causæ morbiferæ opus est.

*Sennert. Medic. pract. p. 3. l. 1. sect. 3. c. 8. de Hæmorrhag. nar. ψ. differentia. n. 1.*

In primo casu salutaris est, in secundo ducit ad exitum, ut idem Sennert.

*de sign. diagnost. ψ. cæterum.*

notat, ibi: Si enim sanguinis per nares fluxus Criticus est, agrum sanat; quia cum ipso morbus prior, & Symptomata evanescent: si Symptomaticus, ager difficulter eum sustinet, & cum pulsu languidiore vires paulatim attenuantur. Est autem Symptomaticus, quando nullus præcessit morbus: & talis erat in præsentem; neque enim præcesserat morbus, ut patet ex depositione testium.

147.

Ad 6. Præservatio hujus Infirmi à morte, cujus periculum juxta Medicos imminabat, non potest tribui Medicamentis applicatis; quia in confesso est, ea nihil profuisse, ita, ut frustratis remediis, ad solam applicationem Reliquiæ B. Turibii converterint se prima vice adstantes, secunda vice Infirmus, ex qua cum fuerit omnino liberatus, inde magis, magisque resultat Miraculi Relevantia. Vena secta Infirmo est sub initium fluxus sanguinis, ut testes unanimiter asserunt: unde si iste per venæ sectionem potuisset sisti, post pauca momenta effectus fuisset secutus, cum circulatio sanguinis brevissimo tempore operetur,

ut docet Galen. lib. de Sanguin. emiss. c. 11.

ubi agens de sistendo sanguine per Phlebotomiam asserit, se validas sanguinis è naribus fluxiones repente venæ sectione sedasse, ut refert River. *prax. Med. l. 4. c. 7. pag. 273. col. 2. ψ. ac primum.*

Ad 7. Quoad deliquium distinguendum est; nam deliquium, de quo River. l. cit. loquitur, fuit totale, quo Æger alienatus à sensibus remanet: & tale deliquium ex retrocessione sanguinis oritur, qui propterea foras effluere nequit. At in Casu nostro deliquium non fuit istius generis, sed processit ex virium debilitate ob copiosam, & vehementem sanguinis effluxionem: quod constat ex eo, quia Infirmus in hoc deliquio alta voce adhuc opem B. Turibii implorare poterat; proinde opus non fuit aliquo remedio, ut ad sensus excitaretur, prout tamen necesse fuit in deliquio, de quo Riverius. Accedit, quia in hoc Riverii Exemplo sanguinis fluxus non omnino cessavit, sicut tamen cessavit in Casu nostro ad secundam applicationem Reliquiæ Beati.

148.

Ad 8. Savonarola l. cit. in hoc Argumento tantum dicit, quòd aliquando egrediatur sanguinis quantitas major, quàm librarum quatuor, & non debilitetur Æger. Igitur cum in Casu nostro ex testium depositione habeatur, Infirmum ex tam copiosa manatione sanguinis viribus defecisse, non obest hujus Authoris Assertio. Riverius potius favet Miraculo; nam

149.

*c. 7. cit. pag. 238. col. 1. §. sed multo.* ait, Tam vehementi correptus est Hæmorrhagiâ, ut intra quatuor horas sanguinis libras duas extraxerit: sed cum adhuc sanguis affarim flueret, virèsque collaberentur, de Hæmorrhagiâ cohibenda cogitatum est &c. Igitur si virium lapsus ex sanguine, ad duas libras effuso, consideratur ut periculosus, facilius periculum inferri debet in Casu nostro, ubi sanguis in longè majori pondere librarum fluxit.

Ad 9. Sanatio in Casu præsentem facta est ad mensuram fiduciæ, quam Infirmus erga Beatum habuit. Ad primam Reliquiæ applicationem fluxus sanguinis non est omnino cohibitus; quia, ut fatetur ipse Infirmus, nondum plenam in ope Beati fiduciam concepit. Hinc remotâ Reliquiâ, denuo fluere sanguis cœpit: fluxus autem, continuo cessavit, quando Invocationem Infirmus majori cum fervore, & fiducia renovavit, & Reliquiâ denuo applicata est; & quidem cessatio hæc facta est in instanti, ut in Processu Apostolico testantur Testis 15. & 16. & conveniunt in Processu Episcopali Testis 11. 12. 16. cum ipso Sanato, qui est Testis 46. ut proinde de Instantaneitate satis videatur constare.

150.

Juxta assertionem tamen Postulatorum, 151. videtur in hoc Miraculo nec Probatio, nec Argumentum Relevantiæ deesse. Nam 1. Copiosum, pro Miraculo, & ve-

& vehementem sanguinis fluxum, per plures horas continuatum, probant in Processu Apostolico examinati testes quinque, & inter hos duo Medici, omnes de visu: in Processu Episcopali idem cum ipso sanato (qui tunc, cum Processus Apostolicus institutus est, ab Urbe Limana procul aberat, & ideo Examen illius repeti non poterat) asserunt tres alii testes, atque inter hos unus fuit Chirurgus, alter Medicus.

152. 2. Remedia applicata ad sanguinis fluxum sistendum, nihil profecerunt: unde Infirmus conclamatus fuit à Medicis, & iussus, ut S. Confectione animam expiaret, ut affirmant in Processu Apostolico quatuor testes de visu, & factio, vel auditu proprio: quibus concordant in Processu Episcopali Sanatus, & tres alii testes, pariter de visu, & factio, vel auditu proprio.

153. 3. Hinc refugium factum est ad intercessionem B. Turibii, cujus opem invocata, & Reliquiam applicatam Infirmo, in Processu Apostolico probant tres testes de visu, & respectivè de factio proprio, duo alii de auditu Rectoris, qui personaliter Infirmo Reliquiam applicavit. Consonant in Processu Episcopali testes quatuor, & ex his Sanatus de factio proprio, unus de auditu sanati, duo alii de visu, & auditu proprio.

154. 4. Invocationem hanc, & applicationem Reliquiæ statim secuta est subita cohibitio sanguinis, prout in Processu Apostolico referunt tres testes de visu, duo de auditu videntis. Idemque recensent in Processu Episcopali ipse Sanatus, tres alii testes de visu, & unus de auditu videntium. Et quidem, quod prodigium auget, statim, ubi sanguinis fluxus constitit, Infirmus, qui prius exanguis prorsus, & viribus destitutus erat, robur, ac vires pristinas recuperavit, prout in Processu Apostolico referunt duo testes de visu, in Ordinario Chirurgus, & ipse Sanatus. Hinc

155. 5. Cohibitio ista sanguinis cum plena virium, & momentanea restitutione, ut unanimiter testes omnes affirmant, habita est pro Miraculo, quorum iudicium approbat Doctor Fossombronus, in Peritum electus: & meritò quidem; nam, quod vehementia, & continuatio, quæ sanguis per horas complures fontis instar erupit, indicat, Hamorrhagia ista videtur orta per erosionem, vel etiam rupturam vasis sanguiferi, quæ lethalis, & vel insanabilis, vel non nisi adhibitis per tempus proportionatum idoneis medicamentis curabilis est,

teste Savonarola *tract. 6. c. 5. Rubr. 3. §. prognostica.*

ibi: Fluxus, qui ex ruptura vena, aut arteria, quæ est in reti Cerebri, vix, aut nunquam sanatur; hic enim est semper malus, & est continuus, & velox. Consequenter cohibitio hæc, facta in his circumstantiis, naturæ vires videtur longè excedere, præsertim quia

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

6. Sanguis in hac copia fluxit potissimum ex sinistra parte narium: quod indicat lienem fuisse læsum, & ideo motus hic sanguinis pertinax ad interitum deducere debebat Infirmum, ut affirmat Testis 16. Chirurgus, doctus per experientiam 22. annorum in Nosocomiis, & Anatomia plurium ex hoc morbo mortuorum. Consentit

River, *prax. Medic. l. 2. c. 7. pag. 237. col. 1. circa med.*

ibi, *Hamorrhagia nimis copiosa, & vehementes pessima sunt, ad convulsionem deserunt; & Ludov. Mercat.*

*pract. Medic. l. 1. de intern. morb. curat. c. 25. de flux. sangu. nar. pag. 137. col. 1. Lit. C.*

ubi: Quo factum est, inquit, ut sanguine immodicè fluente, corpus in graviora pericula promptius delabatur. Hinc in simili casu pro Miraculo resolverunt Auditores Rotæ in Relatione Canonizationis S. Caroli Borromæi p. 3. tit. de Mirac. Mirac. 1. in Vita, & S. Joannis de DEO Mirac. 5. post obit.

7. Quod verò cohibitio fluxus sanguinis in Casu præsentis processerit ab invocatione, & applicatione Reliquiæ B. Turibii, deponunt præcipuè Vice-Rector Collegii, Sacerdos item alius, & cæteris melius ipse Rector, quibus concordant duo Collegiales. Id etiam probat ratio; nam quodcumque inevitabile mortis periculum adfuisse per Peritos probatur, & constat de Invocatione, & præsertione, tunc ista tribuitur Sancto invocato, etiam quando sanatio non contingit in instanti,

ut firmat Card. Laur. de Mirac. D. 20. art. 20.

ibi: Itaque licet postea totaliter sanatus evaserit ex consequenti, Miraculum tamen consistebat, in præsertione à morte - - In his ergo casibus præsertione, ut adscribatur Miraculo, articulus mortis, seu periculum inevitabile certissime, & evidenter, omni exclusa dubitatione, constare debet de iudicio Peritorum, seu Doctorum, ut præsertio sine totali sanatione morbi dici possit Miraculosa, & tribui alicui Sancto invocato, vel cujus Reliquia aliudve illius fuerit agro applicatum. Atqui in præsentis Casu ab omnibus, præsertim Medico, & Chirurgo ad curam vocatis, constat de inevitabili periculo mortis. Proinde concurrunt omnia necessaria ad Miraculum; adest enim præexistentia status periculosi, adest invocatio, & applicatio Reliquiæ B. Turibii, adest denique instantanea sanatio per subitanæ cessationem fluxus sanguinis, cum plena restitutione virium deperditarum.

Ob modò propositas rationes iudico, factum hoc tutò satis inter Miracula referri posse; quia tamen circa Instantaneitatem sanationis aliqua est difficultas, imò dubitari potest, vel potius suspicari, an non ad cohibitionem fluxus sanguinis Remedia per Artem Medicam applicata influxerint, quæ rationes

156.

157.

158.

Censura de Miraculo 5.

tionones fortè Manfredum in Peritum electum, moverunt, ut in sua Relatione Miraculum istud in dubium revocaret, imò propenderet potius in negativam, ideo S. Congregatio in ordine ad decernendam Canonizationem, ubi clara debent adesse Miracula, istius Sanationis rationem non habebit, præsertim cum alia Miracula clariora adsint, quæ ad eundem effectum sufficient.

### MIRACULUM VI.

#### *Subita Sanationis Erysipelatis gravissimi in Capite.*

159. **M**ense Septembri ejusdem Anni 1684.

Sacerdoti Joanni de Mendoxa supervenit Catarrhus, ac Febris adeò dira, ac vehemens, ut sibi viderentur oculi ex sinu suo divelli: caput erat tumidum, atque ingenti dolore affectum; nam ad levem etiam contactum, perinde, ac si gladii cuspidè perforaretur, lancinabatur. Morbo hoc ingravescente, accersitur Chirurgus, qui nonnullis Remediis, & inter hæc etiam (in quo tamen variant testes) sectione venæ adhibita, cum nihil profecisset, pronuntiavit, Infirmum laborare Erysipellate gravi, & periculoso, quippe cum eodem ipso tempore simili Erysipellate laborantes plures alii mortui fuerint: proin Infirmo suasit, ut le Divinæ dispositioni accommodaret ob maximum vitæ periculum, solumque ipsi præscripsit, ut ejus capiti, ac fronti applicarentur novi, & novi temper panniculi, vino stillatitio intincti.

160. Utebatur Infirmus Remedio isto per triduum; sed sine fructu: imò vehementius discruciabatur. Hinc cum ei assistentes dictum Remedium iterare vellent, eo recusato, *Date mihi*, inquit, *B. Turibii Imaginem: hujus applicatione per Miraculum liberabor: ac tum pro Informatione ad Canonizationem ejusdem Beati pro hoc Miraculo ego deponam Testimonium, vosque mecum deponetis.* Spei respondit eventus; nam Imagine admotâ, illico acerbissimus dolor posuit, & ipse placidè obdormivit, quod quatuor antè actis diebus minimè potuit. Postquam maximam partem nox illa transit, Infirmus vocavit famulum, qui ei assistebat, cui ille plenus gaudio, videri sibi, dixit, quòd Sanctus operatus sit Miraculum: & respondit dicto eventus; nam post totam noctem quietè transactam, altero mane à Febri, omnique dolore, & morbo liber repertus est, Chirurgus, & cæteris vehementer stupentibus.

161. Crevit admiratio ex particulari sequente circumstantia: Filum ex lana Chilensi coccinei coloris tempore morbi gestabat agrotus fronti alligatum, quod, nescio quis, tanquam præsentissimum adversus hoc morbi genus Remedium, eidem dederat. Secun-

do, aut tertio die post Sanationem, cum discursus de ea fieret, erant aliqui, qui hujus filii virtuti Sanitatem deberi crederant: hinc suaserunt Sanato, ut rursus illud applicaret ad impediendum reditum Erysipelatis, permisitque hoc ille ad probandum Miraculum, per applicationem Imaginis Beati factum. Res mira! statim atque solum hoc frontem contigit, rediit huic antiquus tumor, & facies cum eadem, quâ prius, vehementiâ doloris inflammari cœpit. Quare Infirmus ad hos suos Consultores, *Videris*, inquit, *Sanationem non esse adscribendam lana, date mihi Imaginem meam B. Turibii, & videbitis, quomodo illico discedet malum, ut cognoscatis, verum esse Miraculum.* Filo illo proin abjecto, illius locò reposita est Imago Beati: & ecce! subito evanuit omnis tumor cum dolore, & omni vestigio mali, nec amplius rediit. Hæc referunt quatuor Testes oculati, & inter hos Chirurgus Medicus.

Argumenta contra istud Miraculum hæc sunt circa Probationem, & Relevantiam. 1. Circa secundum Extremum adsunt solummodo duo Testes de visu, nempe ipse Sanatus, qui deponit de facto proprio, & Testis 18. famulus Sanati, ex cujus depositione constat, quòd Infirmo nocte, quâ Sanatio contigit, post applicatam Imaginem Beati præsens adstiterit: cæteri duo Testes non viderunt Infirmum, nisi mane sequenti; adeoque Testes non sunt de ipso actu, & tempore Sanationis, quod tamen hic videtur esse necessarium, cum in hujus generis Miraculis præcipua substantia consistat in Instantaneitate.

2. Aliqui ex allegatis Testibus in dicto suo variant, adeoque fidem non merentur.

Granic. de testib. q. 66. n. 15. Rota decif. 423. n. 21. p. 18. recent.

Nam 1. Testis 17. in Processu Episcopali dixit, à prima Sanatione ad secundam intercessisse dies septem, vel octo, quod tempus idem ipse testis ad triduum, vel quadratum contrahit in Examine factò Autoritate Apostolica. Item 2. Testis 18. In Processu Episcopali ponit duos solummodo dies intermedios inter utramque Sanationem, & meminit de applicatis aliis Remediis; in Processu autem Apostolico tempus intermedium ampliat ad decem, vel duodecim dies, & solum mentionem facit de applicato Vino stillatitio. Similiter Testis 19. in Processu Apostolico refert, post duos, vel tres dies supervenisse humorem, qui dedit occasionem iteratæ applicationi filii coccinei, & Imaginis Beati; in Processu autem Episcopali retulit, id contigisse post octo, vel decem dies. Denique 4. Testis 20. in Examine Apostolico ait, se curasse Ægrum per tres, vel quatuor dies; in Examine Episcopali autem tempus curæ adhibite restringit ad unum duntaxat diem.

3. Tres ex dictis quatuor Testibus discordant

162.  
Argument  
contra  
Mira-  
culum.

163.

164.

dant inter se in suis depositionibus ; nam Sanatus dicit , sibi lectam fuisse venam , & per duas , vel tres vices post Imaginem Beati applicatam adhibita esse alia Remedia defensiva ; Testis autem 18. & 20. negant missionem sanguinis , & usum Medicamentorum post Imaginem applicatam.

165.

4. Circa Relevantiam etiam se offert difficultas ; nam in Casu hoc Febris conjuncta fuit cum Erysipelate , per quam , tanquam Crisim morbus interior ad exteriora pulsus , & sectione venæ , aliisque Remediis defensis curatus est.

5. Conferre etiam ad Sanitatem potuit placidus ille somnus , quo Infirmus totam noctem quietè traduxit. Præterea

166.

6. Considerabilis etiam esse potest applicatio sili cocineæ , cujus efficaciam effectus demonstravit , dum eo secunda vice applicato post reincidentiam , tumor evanuit.

7. Post aliquot dies Infirmus reincidit in morbum antiquum : quod signum est , malignitatem morbi non fuisse radicitus sublata ; atque adeo Sanatio hæc rationem Miraculi , quippe quod opus perfectum est , habere non potest.

Paul. Zacch. qq. Med. Leg. l. 4. tit. 1. q. 3. fin.

167.

8. Hic morbus fuit paucorum dierum , absque Symptomatis lethaliibus , ac propterea sola Sanatio plena , ac totalis in instanti Miraculum probare potest. Videtur autem in hoc morbo , & ejus Sanatione deficere Instantaneitas , vel saltem illius Probatio ; nam testes actui Sanationis non interfuerunt , sed primùm hanc cognoverunt mane sequenti , & sic potius deponunt de visu Sanati , quam Sanationis.

168.

9. Præsens affectio respectu sui salutaris esse censenda est , cum oriatur à partibus salino-volatilibus Sanguinis , propter nimiam fermentationem evectis , & tanquam heterogeneis in corporis Peripheria depositis : unde necesse est dicere , pati solas partes cutaneas ,

ut notat Galenus 2. de Glaucon. c. 1. ubi loquens de Erysipelate , inquit : *Erysipelas solius cutis affectio est.*

Ad hæc Argumenta Postulatores sequenti modo respondent.

169.

Respondetur ad Argumenta opposita.

Ad 1. Etsi duo solummodo haberentur Testes de secundo Extremo , tamen illi deberent sufficere , cum in ore duorum , vel trium testium stet omne verbum ,

c. in omni negotio. de testib. Contelor. de Canoniz. Sanct. c. 18. n. 3.

præsertim cum Probatio , per illos facta , coadjuvetur per cæteros duos , mane sequenti Infirmum visitantibus , ubi plenè sibi restitutum conspexerunt. Imò testes hi duo posteriores verè dici possunt esse de visu respectu ejusdem secundi Extremi ; nam ad hujus Probationem non requiritur , ut Testes ipsi interfuerint ipsi actui Sanationis , sed sufficit , si paulò post , & intra breve tempus Infirmus

ab omni malo liberum viderint.

Ad 2. Vis Miraculi istius non consistit in quantitate temporis intermedii inter utramque Sanationem ; nam Sanatio , vestita circumstantiis , in historia Miraculi hujus relatis , æquè mira est , quodcunque temporis spatium intercesserit. Quare etsi in hoc testes in Depositionibus suis varient , variatio ista , tanquam in re non substantiali , eorundem fidem non debilitat ,

170.

prout firmarunt Auditores Rotæ in Relationibus Canonizationum S. Hyacinthi c. 3. de Miracul. §. præterea satis. S. Franciscæ Romanæ p. 3. art. 1. §. sed levem. & S. Andreæ Corsini apud Lezan. consult. 1. n. 234. §. unde in causa. Farin. de testib. q. 66. n. 22. Card. Laur. D. 20. de Miracul. art. 2. §. 2. n. 1084. pag. 631. Rota decis. 167. n. 10. p. 1. recent. & decis. 82. n. 20. coram Zarate.

Præterea inter Processum Episcopalem , & Apostolicum intercessit plurimum annorum intervallum , ut adeò facile contingere potuerit oblivio. Testis 18. in Examine Apostolico de dicto tempore solum deponit sub dubitatione : unde potius fides illius augetur.

Joan. Andr. ad Specul. de testib. §. nunc tractandum. in Addit. §. hoc ergo. Angel. conf. 25. n. 4. Alex. conf. 66. n. 4. vol. 2. Rot. decis. 390. n. 8. coram Gregor. & decis. 264. n. 16. & duob. seqq. p. 5. tom. 1. recent.

Dum verò idem testis in Processu Apostolico dixit , Ægro fuisse applicatam Aquavitam , in Processu autem Episcopali recenset alia Medicamenta , facile tolli contradictio potest ; nam Medicus primò solum applicavit Aquavitam cum aqua Rosarum , Chirurgus verò , postea curæ adhibitus , usus est multis aliis Remediis , ut ipsemet Testis in depositione sua refert. Similiter nulla est contradictio in Depositionibus Testis 20. nam , ut in Processu Apostolico dixit , advocatus est ad curam Ægroti triduo , vel quadriduo post inceptam infirmitatem , & tum curæ illius præfuit reliquo ægritudinis tempore , quod unum , vel alterum diem non excessit , ut idem testis fatetur in Examine Episcopali.

171.

Ad 3. Juxta c. in nostra. 32. de testib. ubi conveniunt pro una parte plures testes , isti , cæteris paribus , præferendi sunt Testibus paucioribus contrariis. Igitur hoc ipso , quòd duo testes excludant sanguinis missionem , his potius credendum est , quam uni eam asserenti , præsertim cum ex duobus prioribus unus fuerit Chirurgus Medicus , sine cujus præscripto , vel etiam operatione sanguinis missio fieri non poterat. Neque obest , quòd ille unus testis , qui asseruit venæ sectionem , fuerit ipse sanatus ; nam hic , tunc temporis gravissimo Erysipelate affictus , non adeò advertere poterat , an sanguis ipsi missus sit , necne. Applicationem Remediorum aliorum post Beati imaginem applica-

plicatam sanatus solum asseruit dubitative : unde hoc ejus dictum tollere non potest fidem dicto aliorum testium, absolute negantium, adhibita fuisse alia Remedia post dictam Imaginem applicatam.

Ad 4. Febres, ut cum Sennert. l. 2. de febr. c. 16.

172.

notat in sua Relatione Manfredus in Peritum electus, comitantur Erysipelas, & tam hoc, quam illa ab eadem Causa efficiente, & materiali, eodemque tempore producuntur immediate, & sine relativa dependentia, vel prioritate, aut posterioritate unius ab altera. Igitur nec febris Crisis Erysipelatis, nec hoc febris esse potuit. Et esto, alterutra fuerit Crisis alterius, juxta communem DD. nulla Crisis est bona, qua peracta, non sublevaratur natura, aut saltem minuitur morbus; nam Crisis idem significat, quod indicium, quia sententiam quasi de morbo dicit: unde sicut alia est Sententia absolutoria, alia condemnatoria, ita Crisis bona agrum absolvit, mala illum ad interitum ducit. In hoc casu accessu Erysipelatis non fuit diminutum malum, sed aucta Symptomata. Ergo si Crisis fuit, Crisis mala fuit: consequenter, dum in suo vigore persistente morbo, ad applicationem Imaginis Beati, illico cessit malum, hoc ipso augetur Miraculum. Neque obstat, quod per adventum Erysipelatis potuerit absolute febris diminui; nam saepe contingit, ut aegrotanti superveniat alius morbus, qui liberet a primo, & nihilominus eum interimat. Exemplum dat

Hippocrates l. 6. Aphor. 12. de Hamorrhoidibus.

ubi, *A diurnis, inquit, sanato Hamorrhoidibus periculum imminet, ut in Hydropem, vel in tabem incidat, nisi una servetur aperta.* Pariter ergo in nostro Casu, licet ponatur, Erysipelas fuisse Crisim febris, tamen quia ejus accessu non remisit, sed potius auctum est malum, Crisis mala fuit, & sic ad interitum debuisset aegrotum deducere. Quod additur de venae sectione, constat ex Responsione ad praecedens Argumentum, hanc probabilius non fuisse factam. Et esto, facta sit, ipse sanatus, qui illam asseruit, fatetur, nihil inde utilitatis consecutum esse. Imo debuisset morbum efficere graviorem; quia periculum erat, ne malum ex parte exteriori recurreret ad interiora, quem recursum

Sennert. c. 16. cit. pag. 408. col. 2. princ. periculolum dicit. Hinc Galen.

L. 2. ad Glaucon. & in Method. med. in Erysipelate sanguinis missionem prohibet. Similiter non profuerunt applicata Remedia defensiva, ut omnes quatuor testes affirmant: imo ex vino stillatio confecta ob nimium calorem potius obesse, quam prodesse debebant, ut notat Villacorta.

173.

Ad 5. Somnus secutus est sanationem obtentam, tanquam ejus effectus, quippe quem morbi vehementia antea impediērat,

in quo concordant testes: ut adeo idem somnus recuperatae sanitatis indicium fuerit demonstrativum, & infallibile; nam morbus consistit in laesione sensibili actionum naturalium, adeo, ut quamdiu ista laeduntur, morbus perseveret; quando autem laesio illa cessat, morbus sit terminatus. Cum igitur in Casu nostro somnus inductus fuerit, laesio actionis dormiendi praecedens cessavit, & evanuerunt intensi dolores capitis, qui vigiliatum, vel causa, vel Symptomata concomitantia fuerunt, necesse est fateri, etiam sublatum fuisse morbum, a quo dependebat laesio actionum; alias tantum abest, quod somnus in hoc casu potuisset coadjuvare, & inducere sanitatem, ut potius ex somno perniciem timeat Joannes Crato cons. 291. ibi: *De somno hoc tenendum: cum cura, vel tibi Erysipelas occupat, somnum mediocriter convenire; cum vero faciem, a somno, quantum fieri potest, temperandum.* Hinc augetur potius in Casu isto Miraculum, dum ex depositione testium constat, Infirimum statim post applicatam Beati Imaginem vim caelestem sensisse, ita, ut pulsa malitia morbi, qui somnum impediērat, noctem totam placidissime dormiendo transigere potuerit, ut adeo dubium esse non videatur, eum ipsum somnum intercessione Beati conciliatum fuisse. Et sic in simili hoc observarunt

Auditores Rotae in Relatione Canonizationis S. Andreae Corsini apud Lezan. consult. 1. n. 261. & notatur in Bulla Canonizationis S. Ludovici Episcopi Tolosatis, Bullar. tom. 1. Const. 2. Joann. XXII. §. 27. *quadam etiam, & pro Canonizatione S. Thomae Aquinatis Constit. 11. ejusdem Joannis XXII. §. 15.*

Ad 6. Si solum hoc coccineum profuisset, id fecisset vel ex virtute sua intrinseca, & speciali, occultaque qualitate, lanae Chilonis, ex qua factum est, propria, vel a coccinea tinctura, qua erat coloratum. Non primum; quia ex ejus iterata applicatione non modo non fuit extinctum Erysipelas, sed rediit. Non secundum; quia color ruber potius motum, quam quietem sanguini praebet, illumque ad exteriora revocat, adeo, ut in aegrotis, in quibus sanguinis ad exteriora motus desideratur, ut est in pueris, qui variolis laborant, jubeant Medici culcitrae rubras supponi,

174.

ut Amatus Lusitanus cent. 3. curat. 15. & Hieron. Mercurial. tract. de Morb. puer. l. 2. c. 2. pag. 269. cum universa practicoorum Schola advertunt: cujus rationem

Franc. Valles. Sacr. Philosoph. c. 82. dat, quia color ruber sibi affines, & consimiles Spiritus sanguineos agit, & consequenter totam massam sanguineam movet. Non poterat igitur solum hoc rubrum curare Erysipelas, sed potius debebat illud augere.

Ad 7.

175. Ad 7. Reincidentia hæc potius illustrat Miraculum, facitque ex uno quasi duplex; cum enim nonnulli sanationem primam tribuerent filo coccineo, ut Num. 161. relatum est, & Sanatus ad eos convincendos, & Miraculum Beati demonstrandum idem filum sibi iterum applicuisset, tumor, & dolor rediit, qui illico evanuit, denuo applicata Beati Imagine cum certâ ejusdem sanati fiducia dictum Miraculum comprobandi. Duplex itaque in hoc casu intercessit sanatio, utraque perfecta, & miraculosa: una post primam Imaginis applicationem, cum pulsâ vehementi inflammatione, & dolore, tumorque capitis, Infirmus placidissimo somno correptus, in eo totam noctem traduxit, & manè expergefactus, nec Reliquias quidem retinuerit morbi, quod circumstantes commovit, ut Miraculum acclamarent. Altera, quando DEUS ad confundendam superstitiosam aliquorum persuasionem, permisit, ut post iteratam filii prædicti applicationem morbus recrudesceret, quem dein, rejecto filo illo, & repositâ Imagine, alterâ vice momento sustulit. Nihil igitur obest Miraculo reincidentia hæc in morbum antiquum, sed hæc potius est confirmatio factæ prius Miraculosæ sanationis. Simile quid operatus est DEUS in filio Imperatoris Valentis, qui præsentem S. Basilio Magno, ad ejus preces à morbo convaluit, Hæreticis autem postmodum ad ipsum vocatis, mortuus est: quo non obstante, in hac sanatione Ecclesia agnoscit Miraculum. Unde Exemplum istud considerans

Card. Laur. D. 20. art. 21. n. 907.

infert, non cessare propterea Miraculum, quando pro aliquo tempore vis morbi remittitur, & deinde redit. Quare sic argumentari licet: Vel ponitur prima sanatio fuisse integra, vel æquivoca, scilicet per materiam, Erysipelas efficientis, ad interiora recessum. Si primum conceditur, habemus Miraculum evidens, quod juxta dicta non tollit reditus morbi; quia hoc factum est per reditum Causæ. Si verò defendatur secundum, majus est Miraculum, quod non interiit Patiens, aut gravius illi malum eveniret; nam, ut notat Aquapendente, non aliâ ratione pereunt agrotantes, quam Erysipelatis in partes internas principes recursu.

176. Ad 8. Ex hoc ipso, quod morbus non fuerit ad plures dies contractus, clarius splendescit Miraculum; quia sanatio contingit, dum morbus erat in incremento. Imò de morbi istius natura est, ut sit acutus, & brevi dierum spatio terminetur; nam morbus acutus ille est, qui celeriter movetur, & cum periculo vitæ.

River. Instit. lib. 2. sect. 2. c. 6. cæteri que Institutionistæ ex Galeno, totaque Medicorum Schola.

Quòd fuerit cum periculo vitæ, colligitur ex eo, quia fuit in capite, in qua parte Erysipelas periculosus est,

teste Cornel. Cels. l. 5. tit. Curat. Erysipel. ibi: *Interdum periculum majus affert, utique si circa cervicem, aut caput constitit.* Et verò periculum demonstrant gravia Symptomata, de quibus unanimiter testes; nam oculi videbantur velle quasi egredi ex sede sua, caput evasit tumidum, dolor tantus afflixit Infirmum, ut ad manûs contactum videretur quasi confodi cuspide gladii: insuper ex eo malo tunc temporis mortui sunt ferè omnes, qui passi sunt illud. Hinc Medici pro lethali id proclamârunt.

Ad 9. Utraque sanatio, ut ex dictis testium constat, contigit instantaneè: prima; quia statim post applicationem Imaginis somno placidissimo correptus est, quod fieri non poterat, nisi morbo, qui causa vigiliarum erat, sublato: secunda; quia eodem momento, quo reposita ad frontem Infirmo est Imago Beati, inspectantibus omnibus circumstantibus, tumor, & dolor ille vehemens, qui post applicationem filii coccinei recruduit, ita evanuit, ut nullas sui reliquias post se servaverit, nec redierit amplius infirmitas pristina; quibus circumstantiis perpenis, Chirurgus Medicus sanationem istam certo Miraculo, per intercessionem B. Turibii impetrato, adscripsit, cujus testimonio, cum cæteri tres testes concordent, tutò deferri potest.

Videtur pro hoc Miraculo adesse sufficiens probatio omnium substantialium, & Relevantia. Nam 1. Primum Extremum Miraculi, scilicet morbus Erysipelatis, ejusque origo, gravitas, & Symptomata, ex quibus in maximo vitæ discrimine versabatur Infirmus, probatur in Processu Apostolico per Testes quatuor, omnes de visu, quorum unus est ipse Sanatus, alter Chirurgus Medicus, qui, ut Num. 159. relatum est, in hoc morbo agnovit adesse maximum vitæ periculum, idque tum experientiâ illius temporis, cum plerique, eo laborantes, mortui fuerint, tum doctrinâ doctissimorum Medicorum, qui de hoc scripserunt, rectè judicatum demonstratur. Certè

juxta Etmüller. *Chirurg. Medic. tit. Erysipelas, seu Rosa lib. 4. c. 21.*

*Pra cæteris locis periculosum est Erysipelas in capite, si partes capitis externas, faciem imprimis, occupet; præ reliquis enim hujus specibus Erysipelas sapius lethale esse solet: quam doctrinam Authot iste desumpfit ex Paulo Ægineta, qui, Erysipelata, inquit, quæ capitè potissimum oboriuntur, plus facessunt negotiis, adeoque periculosa, ut, nisi efficax consequatur auxilium, interdum quoque affectos strangulent; quia, licet morbus sit particularis, unam scilicet partem occupans, tamen ea pars est dignissima, & vitæ necessaria. Accedit, quia plerumque, ut in præsentî agrotò, adjungitur morbo universali, & corpus universum occupanti, ut est febris, quæ, cum ut plurimum acuta sit, periculo non vacat, & verò in nostro Casu febrim ejusmodi acutam*

177.

178.  
Argumenta  
pro Miraculo.

tam adfuisse, colligitur ex intensissimis doloribus capitis, quos Infirmus sustinuit; item ex continuis vigiliis, quæ nullam quieti partem toto morbi tempore reliquerunt.

179.

2. Adhibita quidem sunt Remedia, sed illa aut vana, ut erat solum illud cocineum, de cujusmodi ligaminibus

Gasp. à Reyes *Elys. Jucund. q. 23. per totam*, & præcipue *n. 10. pag. 151.*

fusè probat; quod nullius virtutis ad morbos pellendos sint; vel effectu desiderato destituta; nam, ut unanimiter testes asserunt, Remedia illa nihil omnino profuerunt: imò madefactio partis affectæ cum vino stillatio debuisse potius nocuisse; nam in curatione talis mali omnia calida vitanda erant, quippe quæ in bilem facile convertuntur, & incendium augent,

ut tradit Villacorta *tom. 1. D. 2. dub. 2. de curat. Erysipel. pag. 279. §. ergo à prima, & pag. 281. §. Catarrticum.*

180.

3. Evanuit autem morbus iste in instanti, eo ipso tempore, quo ille in augmento erat, & sævissime Infirmum cruciabant Symptomata, idque factum est absque ulla Crisi, vel artificiali evacuatione, quod naturalem modum solummodo spectando, periculosum fuisset; naturaliter enim finitur Erysipelas per sensibilem transpirationem, remittentibus sensim, & imminutis Symptomatis, quippe quod signum est pacatæ proportionaliter humorum effervescentiæ, & fermentationis; vel si urgentibus Symptomatis, recedat Erysipelas, & subsequatur aliqua evacuatio sensibilis per alvum, urinam, sudorem, vel aliud his æquipollens. Quod si autem, vigentibus omnibus, absque ulla sensibili evacuatione, vel suppuratione dilparet Erysipelas, non est Sanatio, sed retrocessio ad interiora, quod non modò naturæ non est proficuum, sed vel maximè perniciosum, imò lethale,

ut docent Sennert. *tom. 1. l. 2. c. 16. pag. 408. col. 2. princ.* Joann. Fort. *Consult. & respons. Medic. tom. 1. cent. 1. obs. 95. pag. 117. col. 1. §. effectus ejusdem, & alii duce Hippocrate l. 6. aph. 25. ibi:*

*Erysipelas ab exterioribus ad interiora converti, malum est; tunc enim, subjungit Hieronymus Mercurialis, & consentiunt Commentatores in Textum cit. Vel ad mortem, vel ad aliquod deterius malum terminatur.*

181.

4. Dum ergo in Casu præsentis eo ipso momento, quo applicata est Imago Beati, de quo unanimiter Testes, præter omnem naturæ modum, dolor omnis cessavit, somnus placidissimus inductus est, & hoc per totam noctem producto, manè altero Infirmus ab omni morbo liber apparuit (quod iterum demonstratur ex Testibus) profectò Sanatio hæc pro Miraculosa haberi debet: augeturque Miraculum, imò duplicatur, dum filo cocineo rursum appposito recruduit malum, & hoc postea, resumptâ Beati Imagine, iterum in instanti, inspectantibus omnibus, pulsus est, & ita quidem, ut Sanatus

deinceps in illud malum nunquam amplius reinciderit, sed, ablatis omnibus morbi cum morbo reliquiis, perfecta impostero gavissus sit Sanitate. Proinde

5. Sanationem hanc subitam, & continuatam cum reliquis circumstantiis perpendens Chirurgus, pro miraculosa meritò pronuntiavit, ut ipse refert, & confirmant alii duo testes de auditu proprio, qui & ipsi Miraculum in Sanatione hæc agnoverunt: idque potiori jure, quàm factum est in Sanatione Erysipelatis ope S. Theresæ à Moniali obtentâ, quæ, licet talibus circumstantiis, vestita non esset, pro illius Canonizatione inter Miracula recensetur

à Gregorio XV. *Const. 20. §. 18. Bullar. tom. 4. pag. 118.* Exempla alia repetuntur in Relatione Canonizationis ejusdem Sanctæ *tit. de Mirac. art. 2. Mirac. 2. in Vir. S. Petri de Alcantara p. 3. art. 2. Miracul. 2. post obitum, & alibi.*

Consideratis his omnibus, quæ hæcenus discussa sunt, judico posse Sanationem hanc inter Miracula recenseri, cum, ut *Num. prac.* dictum est, habeantur Exempla, minus fortibus circumstantiis munita, quæ tamen judicio Auditorum Rotæ, & Sacræ Congregationis locum inter Miracula invenerunt. Adeoque adest Relevantia, & simul, ut hæcenus ostensum est, adest Probatio sufficiens per quatuor Testes legales respectu utriusque Extremi, & Invocationis per applicationem Imaginis B. Turibii factæ.

## MIRACULUM VII.

## Sanationis Attracti.

IOhannes de Salzedo Chirurgus, post contractam luem veneream, multis, gravibusque morbis aliis, tumefactione corporis, Pthiisi, Hæctica, Apostemate, in partibus inferioribus enato, per triennium miserum in modum affigebatur. Hæc mala omnia tandem Anno 1683. in Paralyfin, seu Contractiõnem desierunt: quo factum, ut manibus, pedibusque captus, ad sumendum cibum aliena uxoris manu indigeret, & fulcris, aut aliorum auxilio ad movendos gressus uti compelleretur, quo etiam adjumento suffultus, ægerimè tamen incedere valuit, miserè post se trahens pedes, aliasque partes emotuas. Ad curandum hunc suum morbum, vel morbos Ægrotus omnem suam substantiam perdidit, prout fecerat mulier illa, à Christo Servatore à sanguinis profusio liberata. Hinc, tanquam ærumnæ cumulus, propriæ familiæ paupertas accessit. Pertinacia mali artem Medicam omnem eluserat: proinde Medicus, & Chirurgus, cum post diu locatam pro cura industriam suam omnem, advertissent se oleum, & operam perdere, miserum, tanquam incurabilem, deseruerunt. Morbus interim adeò auctus est, ut indies expectaretur nuntius de ejus morte: propterea

181.

182.

Centura de Miraculo 6.

183.

bis, vel ter, durante hoc morbo; provifus fuit SS. Sacramentis. Tandem, ut de victu faltem ipfi profpectum effet, ductus est ad Hofpitale Incurabilem, à B. Turibio erectum, ubi per tres menses, eadem Paralyfi laborans, est commoratus.

184.

Quadam die, lumine Divino internè illustratus, Sacellum Hospitalis, B. Turibio sacrum, adire statuit, ibique auxilium illius implorare. Ad hoc ubi, ægerrimè licèt, sustentaculis subnixus, & corpore reptans pervenit, & ferventer ejusdem Beati opem imploravit, sensit sibi augeri vires, adeò, ut non ingenti admodum labore ad valetudinarium regressus sit: quod fiduciam illius auxit. Hinc altera die, eundem Beatum iterum deprecaturus, ad idem Sacellum rediit, & post repetitas preces magis corroboratum sese advertit. Certò igitur sibi persuadens, si tertio in eodem Sacello Beatum deprecaretur, integram sanitatem se recepturum, tertià die eodem regressus est. Et ecce! cum preces suas, aucto fervore, ibidem repetiisset, adeò valens, & perfectè sanatus evasit, ac si nullò unquam morbo gravatus fuisset. Proinde actis DEO, & B. Turibio gratis, relictisque in dicto Sacello subalaribus fulcris, Miraculum, quod in persona sua DEUS ad honorem ejusdem Beati operari voluit, palàm annuntians, stupentibus Capellano, Infirmariis, & aliis, qui rei novitatem viderant, egressus est ex Hospitali, domumque suam, procul ab hoc distantem, repetiit, ut citò suos participes faceret beneficii recepti, & illi similiter pro hoc gratias DEO, & Beato agerent. Miraculum auxit, cum Sanatus ingentem foveam aquà plenam, quæ in via ei occurrerat, & adeò ampla erat, ut homo valens, & agilis admodum ægrè transire eam potuisset, ipse saltu facto, transiit, & sic iter suum est prosecutus.

185.

Viam suam ad sexcentos jam pedes perfecerat pedes, & ad domum Francisci del Caddillo pervenerat. Restabat adhuc magna pars via. Hinc istum rogavit, ut Cistum suum sibi commodaret, quò commodius domum suam, quæ paulò minus, quam media Leuca ab Hospitali distabat, venire posset: quem proinde conscendens, ulteriùs perrexit. Hærebant tunc Cognatus, & domestici in expectatione nuntii de Morte ipsius: cum ecce! vident Cistum ad januam domus, & ex ea descendentem Joannem jam integrè sanum, & agilem: quem cum stupore pleni interrogassent, unde ipsi adeò repente evenisset sanitas, ille totam facti seriem, prout nunc recensita est, enarravit. Vixit deinceps in perfecta, & constanti valetudine, donec post annos quinque in montem abiens, ex dysenteria ibidem obiit. Hæc referuntur à novem testibus, inter quos sunt duò Chirurgi, Medicus, Præfectus Hospitalis, & Infirmarius, quibus quoad ea, quæ ante mortem suam acciderant, accedit ipse Sanatus.

186.

Rationes Dubitandi de hoc Miraculo sunt sequentes. 1. Ad probandam hanc sanationem.

*R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.*

nem, tanquam Miraculosam, producantur Argumenta contra Miraculum. novem testes, ex quibus quatuor, nempe 20. 21. 22. & 23. sunt repetiti autoritate Apostolica, qui jam deposuerant in Processu, autoritate Ordinaria confecto: ex his autem quoad secundum Extremum, nempe sanationem instantaneam, nullus est de visu, sed tantum de auditu à tribus aliis testibus, examinatis autoritate Ordinaria, & non repetitis in Processu Apostolico ob eorum prædecessum, nempe à Teste 1. Capellano Hospitalis, 2. ipso sanato, & 9. Infirmario, qui de visu vere sunt quoad Invocationem, & secundum Extremum. Unde cum in dicto Extremo consistat substantia Miraculi, non potest istud fundari super dictis tribus testibus, quippe qui adminiculum duntaxat præbent, neque super quatuor de auditu: quod,

teste Card. de Laur. D. 20. art. 20. §. 4. n. 1120.

probatur ex praxi Sacre Congregationis Rituum, cui pluribus annis inservierat; nunquam enim, inquit, testes de auditu admissi sunt ad probanda Miracula, etiam antiqua. Ubi etiam addit Exemplum in Causa B. Joannis Capistrani, & aliorum, ibi: *Vidi multum laboratum in Causa B. Joannis de Capistrano pro antiquis Miraculis sic probatis, imò & cum fama, & cum Historiis, neque tamen admissis: multum pariter in aliis tribus, vel quatuor Causis antiquorum Miraculorum, quæ per famam, & per testes de auditu eorum, qui viderant Miracula, & quod plus est, etiam cum uno teste de visu illis adjuncto, probantur, nec tamen admissa fuerunt.*

2. Reperitur aliqua in testibus discrepantia; nam 1. Testis 20. dicit, Sanatum laborasse Morbo Gallico, & fuisse totum attractum; de Morbo Gallico nihil memorat Testis 21. sed solum ait, eum fuisse attractum, in quo ipso testis iste diversificat ab Examine, instituto in Processu Ordinario; nam ibi ait, eundem laborasse diversis malis, tumefactione, Phthisi, & Hæctica. 2. Idem testis 21. dicit, Infirmum ab Hospitali discessisse suis pedibus, & nullius auxilio suffultum, ambulasse per 600. passus; primus autem testis, examinatus in Processu Ordinario, istud restringit ad passus 200. 3. Idem Testis 21. refert; se vidiisse accedentem domum in Cistio; Testis autem 22. & 1. narrat, usum fuisse mulà, ab amico in via traditã. 4. Testis 22. dicit, Ægrum fuisse attractum, motumque perdidisse in manibus, & pedibus; Testis autem 23. ait, impotentiam constituisse in pedibus, in manibus autem habuisse aliquam facilitatem: & hoc etiam demonstratur ex eo, quia fulcris innixus potuit, quamvis ægrè, incedere; nam qui ad se movendum de loco in locum cum omnibus planè partibus impotens est, is nec fulcris innixus gressus ullos tentare valet, cum ad motum, cum fulcris edendum, oporteat brachiis, manibusque illaprehendere, retinere, & super eadem vim facere, ut ad anteriora corpus pellatur.

K k k k k

§. Ex

187.

5. Ex cæteris testibus, examinatis autoritate ordinaria, quatuor conveniunt in impedimento pedum; Medicus autem contra prædictos, & contra Testem 20. Chirurghum ait, quod morbus constiterit in Paralyfi, quæ omnes partes, quæ organizationem corporis humani componunt, factæ sunt quasi mortuæ, frigidæ, & gelatæ.

188.

3. Paralyfis, quæ laborabat præfens Ægrotus, videtur non fuisse vera, vel saltem non confirmata, & ad supremum gradum deducta Paralyfis, consequenter artis, & naturæ ope curabilis; nam Paralyfia vera, confirmata, & consummata est privatio sensûs, & motûs in partibus ob impeditum influxum spirituum vitalium,

ut tradit Paul. Æginet. l. 3. c. 18. River. *prax. Medic. l. 1. c. 5. de Paralyf. pag. 178.* Sennert. *prax. Medic. l. 1. p. 2. c. 27. pr. Waldschmid pag. 530. c. 14.* Hartman. *pag. 137.* Dolæus *de Paralyf. pag. 114.* Bruel *c. de Paralyf. pag. 11.* Mercat. *tom. 3. c. de Paralyf. pag. 56.*

Consequenter ad Paralyfin ultimi gradûs necessaria est sensûs, & motûs abolitio in parte, quæ hac afficitur. Talis autem in Casu præfenti Paralyfis non fuit; non enim privavit motu, nec sensu: non motu; aliâ sustentacula de se nec regere, minùs aptare potuisset, cum ad utrumque vegeta musculorum actio, consequenter copiosus Spirituum influxus requiratur: non etiam sensu; nam, ut Capellanus Hospitalis, qui fuit Testis primus autoritate Ordinaria examinatus, Infirmus, dum in Hospitali jam erat, procuravit quotidie manus, & pedes servare calidos ob frigiditatem illorum. Igitur potuit sensibiliter in iis partibus à calore & frigore affici, quod fieri non potuisset, nisi à sensorio superstite. Igitur non vera, minùs consummata, sed spuria solum Paralyfis fuit, nata scilicet ab intercepta crassiori Lympha juxta Musculorum nervos, & fibras, articularumque interstitia, atque ideo torporem quandam in partibus affectis induxit, ut ita motu quidem, non autem sensu privarentur, quam privationem qui patitur, vulgari solum loquendi modo Paralyticum appellamus: quod confirmatur; quia

189.

4. Paralyfis ista non fuit orta ex infractu materiæ, principium medullæ spinalis occupantis, nervosque comprimentis, utpote quæ ut plurimum Apoplexiam sæviorem prodromum habet, sed potius luis Venereæ soboles fuit, quatenus nempe, ut Doctor Manfredus, in Peritum electus, in Relatione sua explicat, ab acido infecto humores, & præsertim succus nervæ fixati, & crassiores effecti, non solum ad subeundos subtiliores nervorum tubulos, quales sunt extremarum manuum, pedumque, à caudicibus majoribus longè distitarum, sed ad explosionem, seu vim elasticam, facultati motrici maximè propriam, inepti evaserunt: unde cum motus omnium musculorum artificio fiat, hi verò ut agant, à rarefcente, & copioso animali succo

suam habeant intumescantiam, hic, præcitato modo depravatus, imminuti motûs causa fuisse arguitur: consequenter Paralyfis solum imperfecta, quæ motu quidem, non sensu privaret Infirmum, fuit. Talis autem Paralyfis, licet difficulter, simpliciter tamen per artis, & naturæ auxilia curari potest, ut teste dicto Doctore Manfredo, observant Præctici.

5. Multa alia videntur ostendere, sanationem hanc naturaliter contingere potuisse; nam 1. Paralyfis hæc fuit solum in pedibus, & ad summum etiam in manibus; partes autem istæ, cum duriores, & robustiores nervos habeant, facilius curantur.

River. *prax. Medic. l. 1. c. 5. de Paralyf. §. crurum, & pedum.*

2. Ægrotus erat ætatis vegetæ 34. annorum, stetit per tres menses in Hospitali, loco aprico, exposito solaribus radiis, sub recta victûs regula. Hæc omnia, ut notat Savonarol. *de Ægrot. Nerv. tr. 6. c. 11. §. prognostica. & §. primus completur. pag. 73.*

ad hujusmodi morbi curam aptissima sunt, præ cæteris autem victûs bona ratio; nam hæc,

ut ait Joann. Fortis *tom. 1. pag. 105. cons. 54.*

Præcipua hujus morbi medela, & ut Cardanus inquit, aurum potabile sanitatis est. 3. Ad sanationem quoque contribuere potuit motus corporis à lecto ad Capellam, & per illum excitari nativus calor, dissolvique impedimentum, causatum à pravis humoribus, ut ponderat Joseph. Quercetan. *in Dietetic. Polihistoric. c. 51. pag. 316.*

4. Adfuit quoque magna lacrymarum copia, ab Ægrotto in Capella Beati profusa, de quibus, & simul ex vehementi fiducia sanitatis recipiendæ potuit noxius humor expelli, prout de similium passionum efficacia observat

Zacch. *l. 1. Medic. princ. Histor. 34. in Paraphrasi.*

5. Conferre quoque potuit ad naturalem sanationem febris, quam Infirmus juxta Testem 21. habuit; nam hæc cooperari potuit ad humorum dissolutionem, ut in simili specie Morbi Apoplectici observat

Zacch. *l. 1. cit. q. 23. per totam pag. 66.* consequenter dici potest, quod fuerit Crisis morbi, & quidem Ordinaria; nam semper præcedere solet Paralyfis solutionem, ut communiter tradunt DD. & præ aliis

Jonston. *Idea Medic. univers. l. 4. c. 5.* Jodoc. Lomm. *obs. Medic. l. 2. c. 34. de Paralyf.* Gordon. *Lil. Med. tit. de Passion. capit. p. 2. c. 27. de Paralyf.* River. *de Paralyf. pag. 180.* Bonet. *Mercur. Compilat. c. de Paralyf. pag. 520. num. 7.* Hartman. *pag. 130. §. inferiorum tamen.* Forest. *tom. 1. l. 10. de Cerebr. morb. obs. 92.* Bruell. *l. cit. pag. 13.* Estmüll. *tom. 1. pag. 389.*

191.

6. Sanatio hæc non videtur fuisse instantanea; nam contigit primùm tertia die, quando Infirmus tertia vice Capellam Beati accessit: & in prima quidem visitatione melius se habuit, in secunda melioratio incrementum accepit, in tertia sanatio completa extitit. In hujusmodi autem morbis, qui naturaliter curari possunt, sanatio, si non evenit in instanti, tutò dici miraculosa nequit.

Paul. Zacch. *qq. Med. Leg. l. 4. tit. 1. q. 3. n. 8.* Contelor. *de Canoniz. Sanct. c. 17. n. 10.* Matta *simili tract. c. 8. n. 6. p. 4.* Araux. *decis. Moral. de Statu Eccl. tract. 3. q. 23. n. 82. §. tertia classis.*

2. Vires pristinæ etiam post tertiam visitationem non sunt perfectè reparatæ: cujus signum est, quòd Sanatus, postquam ab Hospitali discessit, & per aliquod spatium pedestre iter perfecit, assumpto Cifio, vel, ut unus ex testibus, mulâ, reliquum viæ sit profecutus. Subsidio autem isto opus non habuisset, si vires pristinæ eidem tum jam restitutæ fuissent. 3. Esto, rediisse univèrsas vires, non continuò harum restitutio Miraculo est tribuenda; nam jam ante Capellæ visitationem aliquem sanitatis gradum adeptus erat, quippe qui, quamvis ægrè, ad dictum Sacellum adreperè potuit. Non repugnat autem naturæ viribus, ut sanitas inchoata hujus, & artis ope crescat, & brevi temporis tractu ad pristinum vigorem redeat: & quidem 4. Spectando morbi præsentis qualitatem, absque ulla Crisi, vel evacuatione sensibili; nam morbus iste constitit in humoribus, non tam in quantitate, quàm in qualitate peccantibus, quos proinde natura, & ars etiam sine Crisi alterare, dulcificare, & ad meliorem frugem reducere valuit. 5. Non potest certum de qualitate morbi judicium ferri; nam in Actis, & depositionibus testium aliquando pro Paralyfi, & aliquando Convulsionis Hypothesi adducuntur Argumenta: quæ duo sibi repugnant ex principiis Medicis, cum Paralyticus ratione Paralysis directè Contractionem pati nequeat in eadem parte. Ubi autem non constat de qualitate morbi, etiam pro Miraculo Sententia ferri non potest, quippe ad quod declarandum præ cæteris illam considerare oportet.

Ad hæc Argumenta facile respondetur. Et quidem ad 1. Testes 20. 21. 22. & 23. etiam circa secundum Extremum sunt Testes oculati; nam primus ex istis dicit, quòd Ægrotum post tres Menses, quibus iste stetit in Hospitali, viderit perfectè sanum: id vidit etiam secundus eà ipsa die, quâ sanatio contigit, postquam scilicet ex Hospitali domum sanatus rediit: tertius illum perfectè restitutum conspexit post octo dies: & quartus post unam duntaxat diem à discessu illius ex eodem Hospitali: quibus testibus si adjungatur adminiculum quinque reliquorum testium, specificè de visu referentium, dubitandum non est, etiam secundum Extremum nempe sanationem repentinam, plènè,

*R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. 1.*

192.  
Respondetur ad Argumenta opposita.

& concludenter probatum esse; ad probationem enim negotii omnia documenta simul accipienda sunt, quamvis aliqua sint informia.

Archidiac. *in can. quid videtur. 22. q. 5. n. 3.* Dec. *cons. 17. n. 3.* Rota *decis. 248. n. 6. coram Gregorio. decis. 160. n. 2. & 3. coram Bich. decis. 575. n. 5. coram Seraph. decis. 24. num. 22. & 23. coram s. m. Alexandro VIII. & in recent. decis. 564. n. 4. p. 3. decis. 606. n. 1. p. 6. tom. 3. decis. 16. num. 7. p. 5. decis. 11. n. 4. p. 4. decis. 317. n. 10. p. 17. & in his Causis Auditores ejusdem Rotæ in Relationibus Canonizationum S. Isidori Agricolæ *art. 2. §. quod Argumentum, & in Mirac. 3. post obitum. §. quod factum.* S. Franciscæ Romanæ *p. 1. art. 2. §. dicimus tamen.* S. Ignatii Lojola *p. 1. §. & licet.* S. Francisci Xaverii *p. 1. §. quos Processus.* B. Josaphat Polocensis *§. de Levita. & B. Pii V. p. 1. §. alteram, §. & eò facilius, §. enuntiativa, & §. ulterius.* Contelor. *de Canonizat. Sanct. c. 18. n. 21. & 22.**

Multò minus dubium fieri potest circa probationem Invocationis, quæ est pars secundi Extremi; nam ex praxi S. Congr. sufficit, si hæc semiplènè probetur etiam per unicum testem, & præsertim ipsum sanatum.

Auditores Rotæ in Relatione Canonizationum S. Andreæ Corsini apud Lezan. *Consult. 1. n. 232. ad med. & post plures alias Relationes Card. de Laur. in. 3. sent. tom. 4. D. 20. de Mirac. art. 25. §. 3. n. 1107. fin. pag. 637.*

ubi ait: *Invocatio sive verbalis, sive per appositionem Reliquia, si probaretur per duos testes de visu, aut proprio auditu, melius esset: adhuc tamen sufficit, si patiens solus deponat, vel alius, qui pro eo invocavit.* Et num. 1109. subdit: *Confirmo ex praxi Ecclesia, quæ in probatione Invocationis admittit solet vel ipsum sanatum, vel aliquem ex Parentibus, Cognatis, aut amicis, quo faciente votum pro sanando -- planè proposueram Casus pro hac materia de Miraculis, sic probatis quoad Invocationem, ex tempore, quo Sacra Rituum Congregationi inservio, non tamen id controvertitur à DD. Fiscalibus etiam rigidis.* In præsentem Casu multò minus dubitari potest, cum Invocatio probetur à tribus testibus, in Processu Apostolico auditis, docentibus de auditu ab ipso Sanato, & aliis videntibus; saltem enim hi testes inducunt probationem semiplenam, & inserviunt pro uno teste de visu. Imò etiam plènè probant, quoties, ut in præsentem, testes oculati, à quibus audiverunt, præmortui sunt.

*c. licet de testib. & ibi Gloss. & DD. communiter:* cujus Decretalis sanctionem procedere in quacunque materia, etiam gravi, & gravissima, quoties haberi nequeunt testes oculati, firman-

*ibidem Joan. Andr. n. 3. Hofst. n. 2. K k k k k 2 Abb.*

193.

Abb. n. 3. Felin. n. 1. & latè Fermo-  
fin. q. 3. à n. 4.  
præfertim cum testes, à quibus audiverunt,  
in hoc nostro Casu deposuerint Juramentum  
in Processu instituto autoritate Ordinaria.

Ad 2. Concordari facile discrepantia ista  
potest. Nam 1. Testis 20. tanquam Chi-  
rurgus, explicat causam morbi; testis autem  
21. quia Professione Medicus non erat, satis  
habuit, si explicaret effectus ex morbo fe-  
cutos, in quibus convenit cum teste 20. nam  
uterque dicit, Ægrotum fuisse attractum. Si-  
militer in his effectibus morbi idem Testis 21.  
non discordat à depositione sua, quam fecit  
in Processu Ordinario; licet enim in hoc alios  
quoque morbos nominet, de quibus mentio-  
nem non fecit in Processu Apostolico, hoc  
tamen obesse nequit; quia substantia Miracu-  
li hujus præcipue consistit in Attractione, à  
prædictis morbis producta, & postquam In-  
firmus pro Incurabili à Medicis proclamatus  
est, & in Hospitali trium Mensium spatio,  
absque ullo prorsus remedio vixit, post In-  
vocationem Beati subito sanata: in quo utra-  
que illius depositio, & hæc cum reliquorum  
testium dictis concordat. Ubi autem testes  
concordant in substantia, non attenditur di-  
scordantia istorum solum consistens in cor-  
tice.

Roland. conf. 33. n. 22. Cancer. var.  
resol. p. 1. c. 4. n. 85. & seqq. Farin. de  
testib. q. 64. n. 68. & 69. Rota decis.  
140. n. 7. coram Merlin. decis. 320. n. 11.  
p. 9. decis. 691. n. 3. p. 12. & decis. 347.  
n. 21. p. 19. recent.

Similiter 2. Conciliari potest apparens con-  
tradictio in quantitate itineris, à Sanato post  
egressum ex Hospitali, pedibus confecti;  
nam ultra ducentos passus, per quos ambu-  
lantem sanatum se conspexisse memorat Te-  
stis 1. ulterius ille pedestre suum iter conti-  
nuavit, sicque complevit pedes sexcentos,  
quod Testis 21. ex auditu ipsius sanati statim,  
ac domum iste pervenit, percepisse se refert.  
3. Cifus trahi à mula potuit: & sic utrius-  
que testis depositio locum habebit. Et esto,  
sit aliqua in hoc discordantia: hæc substan-  
tiam rei non afficit. 4. Facilitas illa, quam  
Testis 23. ait persistisse in manibus, non pro-  
bat, istas fuisse omnino immunes à morbo;  
nam ex testium aliorum depositione constat,  
Infirmum indiguisse manus alienæ operâ ad  
cibum sumendum, & alias corporis neces-  
sitates. 5. Denique Medicus dicendo, quòd  
Morbus constiterit in Paralyti, non discor-  
dat à cæteris testibus, loquentibus de Attra-  
ctione; Paralysis enim est nervorum contra-  
ctio: ut adeò Medicus loquatur de causa,  
reliqui testes de hujus effectibus. Dum ve-  
rò idem Medicus dixit, partes fuisse mor-  
tuas, & gelidas, non debet intelligi de om-  
nibus, sed, ut ipsemet sese explicat, de illis  
duntaxat, quæ organizationem corporis hu-  
mani componunt, quales præcipue sunt ma-  
nus, & pedes: & ex hoc orta est difficultas

incedendi, & impedimentum rectè utendi  
manibus; morbus enim hic ex osse spinali  
procedit, quod omnium ossium sedes, &  
origo est,

ut notat Forest. de Part. Corpor. human.  
l. 1. c. 3. princ. pag. 3.

Ad 3. Quòd Morbus præfens Paralytia  
merito dici possit, patet ex effectu suo; nam  
præter manus totam inferiorem partem in-  
utilem, & quasi emortuam fecit: in quo di-  
stinguitur Paralytia ab Apoplexia, & Para-  
plegia; quia,

ut tradit Duret. in Coac. Hippocr. de Apo-  
plex. Paralyt. & Parapleg. c. 23. Coac. 1.

Si resolutio, quam Paralytis importat, sit  
universi corporis, Apoplexia; si dimidiati,  
Paralytia vocatur. Neque interest, si ve-  
ram, si spuriam illam fuisse con-  
tendas; nam etsi vera non fuerit, per hoc  
tamen non tollitur, nec imminuitur illius  
gravitas, & pertinacia, quippe quam satis  
demonstrarunt complicati morbi, qui in u-  
num Ægroti hujus corpus convenerunt, re-  
media frustra adhibita, nervorum dissolutio  
in partibus præcipuis corporis, cum deper-  
ditione motus per totam partem inferiorem,  
totale impedimentum crurum, pedum, ac  
etiam manuum, quæ omnia determinarunt  
denique Medicos curæ, ut Infirmum tandem  
desererent, & tanquam incurabilem in Ho-  
spitale Incurabilium curarent deferri. Nec  
sine fundamento hoc iudicium Medicorum  
fuit, sed nixum doctrinâ Hippocratis lib. 2.  
Prædict. c. 5. ubi, Quibus, inquit, cum hoc,  
quòd crura movere non possunt, morbo corporis  
pars attenuatur, hi in sanitatem restitui non  
possunt. Parum etiam interest, an idem mor-  
bus Torpor potius, an Paralytis dici debeat;  
nam Torpor ejusmodi Paralytis imperfecta  
juxta Tozz. Medic. pract. pag. 98.

dicitur, & Paralytis plerumque comita-  
tur; si verò præcedat, ejus Prodromus est.  
Substantia Miraculi præsentis in hoc consi-  
stet, quòd Infirmus noster, postquam à Me-  
dicis tanquam insanabilis proclamatus, in  
Hospitali Incurabilium, ubi, prout uno ore  
deponunt testes, nulla Ægrotis ibi commo-  
rantibus applicantur remedia, per tres men-  
ses, sine ulla spe, vel indicio sanitatis futu-  
ræ, constitit, absque alio vel naturæ, vel ar-  
tis Medicæ adminiculo, ad solam invocatio-  
nem B. Turibii confanuerit: quòd æquè mi-  
rabile est, si ve dicatur Paralytia fuisse perfe-  
cta, si ve imperfecta; nam sine remediis adeò  
repente, & perfecte confanari naturaliter  
nequit.

Ad 4. Nihil refert, si ve morbum istum  
consideremus ut luem veneream confirma-  
tam, & ad habitum jam evectam, si ve qua-  
tenus per modum decubitus in spuriam, &  
annosam Paralytis transmutata est. In pri-  
ma consideratione patet, Morbum Gallicum,  
habitalem redditum, nunquam ab ipsa na-  
tura curari; nam, cum ejus causa sit, & ab  
AA. jure merito censetur esse peculiare quod-  
dam

194.

195.

dam venenum, idcirco non nisi propriis antidotis, & alexipharmacis, ut cætera venena, superari potest. Constat autem in hoc nostro Casu ab experientia, quod Infirmus noster nullo pharmaco, nulloque Medico spatio trium ferè mensium usus fuerit, quamdiu scilicet in Hospitali Incurabilium commoratus est, cum in hoc Hospitali, ut supra insinuatum est, & ulterius testes testantur, Infirmi solâ victûs ratione, non autem remediis tractentur, quippe qui, ubi in gravio rem morbum incidunt, ita, ut novâ indigeant medellâ, statim ad aliud Nosocomium transferuntur. Ex parte igitur luis venereæ morbus fuit contumax, & curatu difficilis, imò sine remediis impossibilis. Si verò consideretur Morbus in effectu Paralysis, per luem veneream inductæ, ex trium annorum decursu patet, eum ad statum incurabilitatis pervenisse; nam, ut ex suis, & aliorum observationibus in Relatione, super hoc Miraculum factâ, refert Medicus Lancisius, Paralysis, à Morbo Gallico inducta, non cedit, nisi Medicamentis Mercurialibus. Constat autem, Infirmo nostro, quamdiu in Hospitali Incurabilium versatus est, nullum Medicamentum fuisse adhibitum; & certè si applicata fuisset ipsi Hydrargyri medicina, cum magno apparatu indigeat, & fœtore suo se prodat, à reliquis infirmis debuisset adverti.

196.

Ad 5. Neque ista curabilitatem Morbi præsentis docent, aut Miraculum minuunt. Nam quod Ad 1. Atinet, ubi ex Riverrio dicitur, Paraly sim in cruribus, & pedibus ob nervos duriores earum partium esse facillioris Sanationis, id verum est comparative ad aliarum partium Paraly ses, cæteris partibus, & cum iisdem circumstantiis; nam si comparetur levis Paralysis crurum, & pedum cum simili Paraly si oculi, aut labiorum, facilius illa, quàm ista curabitur: Verum si intelligatur de gravi, diuturna, & pertinaci Paraly si cum perfrigeratione, emaciatione, & contractione partis affectæ, ubicunque talis fuerit, insanabilis est, etiam in pedibus, quippe in quibus, ut experientia docet, sæpius contingunt Paraly ses ita fortes, ut neque à Medicis, neque à natura sanentur unquam: ideoque Miraculum semper est reputandum, si partes Paraly ticæ ad vitam reducantur, quæ prius inobedientes, & vagantes sub fulcris, tanquam onus, deportabantur. Deinde esto, crurum Paraly sim facilius, quàm aliarum partium, absolute sanari posse, non tamen id fieri potest sine Medicamentis, sine temporis mora, & præsertim in casu, ubi affectio ista ex Lue venerea suborta est.

197.

2. Miraculum non tollunt, aut minuunt ætas Infirmi vegeta, mora in Valetudinario, calor Solis, cujus radiis locus iste expositus est, & victûs ibidem habiti ratio; nam hæc omnia sanare naturaliter, & suis viribus Infirmum non poterant. Non ætas: quia licet illa quoad annos vegeta debuisset esse, vires tamen ejusdem ex diuturnis, gravibus, & com-

plicatis Morbis præcedentibus, qui nervorum convulsionem, & mobilium partium attractionem generârunt, fuerunt omnino prostrata. Adde, quod Lues Venerea in juvenes, robustosque vehementius, ut passim videmus, sæviat, & grassetur, quàm in Senes, ut proinde ex Ægroti juvena, & robore nihil emolumenti sperandum fuerit, ut in Relatione sua notat Lancisius. Non trimestris in Valetudinario Incurabilium mora; cum enim ad hoc deferantur Infirmi, omni spe recuperandæ valetudinis destituti, & nulla ibi Medicamenta administrentur, non apparet, quid conferre ad sanitatem Infirmi nostri mora ista potuerit. Non calor aëris; nam,

ut Harold. in *Lima limata Appar. Hist. c. 3. pag. 7. col. 1. sub initium* scribit,

*In agro Limano temperies tanta est, ut neque calor offendat, aut unquam frigus sentiat. Non denique victûs Regula; quia licet hæc fortè potuisset imminuere, & solvere humores Paraly sim inducentes, non tamen valuit extendere membra, contracta per resiccationem consecutivam ex præcedente Paraly si, quippe quæ extensio indiget humectatione, quam victûs parsimonia non inducit. Poterant quidem ista coadjuvare Curationem, sed instrumenta principalia illius esse non potuerunt; sed, ut Savonarola l. cit. notat, tum solum profuissent, si administrata fuissent Remedia fortia: & quidem cum his non produxissent Sanationem, nisi sensim, in dies scilicet aliquid de sua efficacia ostendendo, & minuendo paulatim morbum. In nostro autem Casu, postquam nulla per tres Menses adhibita sunt Medicamenta, brevissimo, scilicet tridui spatio omnis in Infirmo nostro morbus evanuit, membraque, per Paraly sim prius miserrimè affecta, robur pristinum integrè receperunt, & quidem ita, ut omnino vegetus per sexcentos passus iter prosequi, fossamque latam alacriter transilire valuerit, quod à robusto viro expectari vix potuisset.*

198.

3. Similis est ratio de motu, quem Infirmus fecit de lecto ad Capellam Beati; nam similem, & per longius multò spatium Infirmus fecit, dum subnixus fulcris, & aliorum auxilio ex domo sua ductus est ad Hospitali, qui tamen nihil omnino juvare potuit. Multò igitur minùs juvare potuit motus ille minor, & brevissimus, quo accessit ad Capellam. Laudant quidem Doctores motum partium Paraly ticarum, ut resolvatur humor iis impactus, efficiens Paraly sim; sed aliarum partium motus ad hunc effectum, in parte affecta causandum conferre nil potest, si hæc ipsa pars affecta immobilis maneat. E.g. si brachium dexterum imbibitum est humoribus, nihil juvat motus, etiam violentus, qui brachio sinistro persicitur. In nostro casu, ut Testes deponunt, Paralysis maxime residebat in cruribus, & pedibus.

K k k k k 3

dibus

ibus Infirmi, & motu hoc exercitum quidem est reliquum corpus, non tamen crura, & pedes: quippe qui, tanquam inutile pondus, fulcris suspensi, sola vibratione de loco in locum translati sunt; non enim ejusmodi invalidi figunt gressus in terra, neque istis, sed ligneis illis cruribus corporis truncus sustinetur: ut adeo motus iste, tametsi diu continuatus sit, ad causam tamen, quæ Paralytim induxit, & conservat, discussionem nihil conferre valeat. Adde, quod motus iste, quem fecit Infirmus in Casu isto, fuerit admodum tardus, & lentus, ut Testes deponunt, consequenter ineptus ad humores impactos discutiendos, & excitandum calorem nativum, quippe qui, ut frigus partium affectarum demonstravit, jam pridem ex iis abscesserat.

199.

4. Lacrymæ, & fiducia, quam in auxilio Beati Infirmus constituit, si ad pia vota, & preces referantur, multum profecto juvare poterant ad Sanitatem ejusdem Beati Intercessione obtinendam; quia sunt prævia quedam animæ ad impetrandum Miraculum dispositio: intra tamen naturæ vires sistendo, & considerando ipsarum virtutem naturalem, nec lacrymæ, nec fiducia concepta commodum aliquod, saltem considerabile, afferre poterant: non Lacrymæ; constat enim ex depositione Testis noni, quod Infirmus toto tempore, quo vixit in Hospitali, quotidie uberibus lacrymis miseriam suam desleverit, quin tamen effusio hæc vel minimum ægritudinis levamen eidem attulerit. Igitur multo minus effusio lacrymarum eandem ægritudinem solvere derepente ex integro valuit. Deinde lacrymæ

juxta Zaccut. l. ult. n. 8. pag. 646. lit. D.

nihil aliud sunt, quam humoris putulenti portio, qua in cerebro, & præsertim in oculorum venis continetur, & per dilatationem, aut compressionem illarum venarum foras erumpit. Unde unde autem oriantur lacrymæ, non poterant juvamen aliquod afferre nostro Infirmo, qui deorsum à medio corpore habebat partes gelidas, & emortuas; sed potius tenenda doctrina

Mercurialis l. 6. Art. Gymnast. c. 6. pag. 158. col. 6. sub initium,

ubi afferit, nullum, aut exiguum emolumentum à fletu corporibus accedere. Imò effusio lacrymarum in Casu præsentis potius debuisset esse noxia; nam humores exsiccati, & indurati non nisi ab humido dissolvuntur, teste Aristotele 4. Meteor. c. 3. & ipsa experientia;

fuit autem hic humor per tantam lacrymarum effusionem subtractus, qui, reassumptus à vasis sanguificis, potuisset partibus affectis subministrari. Par est ratio fiduciæ de obtinenda Sanitate, constitutæ in Beati auxilio, si præcisè secundum virtutem suam naturalem consideretur; nam tota hæc naturalis virtus in forti imaginatione consistit, cui pe-

riculose tribuitur effectus Sanationis, ne Hæreticis præbeatur ansa omnia Miracula in vim imaginationis refundendi. Casus, quos Zaccut. loco in hac ratione dubitandi allegato recenset, huc non conferunt; nam in casibus illis aderat vehementissimus, & subitaneus motus ex timore, & metu incendii, qui fortè potuit Spiritus commovere, calorem nativum colligere, sicque noxios humores expellere. In nostro autem Casu non constat, vehementissimam fuisse animi motionem in Infirmo, & calor in partibus inferioribus, utpote frigidis, & emortuis, nullus jam aderat. Quare nec lacrymæ, nec fiducia hæc miraculum tollit, vel minuit, sed istud potius per fiduciam adeo magnam certius redditur, ut notantur Auditores Rotæ

in Relatione Canonizationis S. Caroli Borromæi p. 3. tit. de Miracul. Mirac. 11. §. secundo valde. & Mirac. 13. §. tertio eundem. item Mirac. 14. §. circumstantia. ibi, Magna fides infirmi verisimiliter reddit Miraculum.

5. De febris habita ab Infirmo, dum hic erat in Hospitali Incurabilium, deponit solum unicus testis, non peritus, & quidem absens, & ideo non ocularis: consequenter non facit certum statum probationis. Contra verò nullus ex Infirmariis, vel aliis testibus præsentibus, & oculatis, & peritis quidquam de febris meminit: imò aliqui illorum positive eam habitam negant, quod probat etiam victus ratio; nam hic, ut ex depositione testium constat, fuit panis, & caro, caro autem febricitantibus non conceditur, præsertim, si illi gravi laborant febris. Igitur aut febrim Infirmus iste non habuit, vel non habuit admodum fortem, qualis tamen requiritur ad effectum, ut per eam humores tenaces, & exsiccati, quales in præsentis erant, dissolvantur, & dissipentur; non enim quavis febricula, quæ citra ullum beneficium laborare solent similes Infirmi, à gravibus, & diuturnis malis detenti, ad effectum istum potest perducere, quippe quæ,

ut notat Ludov. Mercat. libr. 1. de morb. intern. c. 15.

Succos crassos nec attenuare, nec dissolvere potest. Consequenter ad sanandam Paralytim exigitur febris magna, & vehemens, ut tradit River. prax. Medic. lib. 1. c. 2. de Affect. sopor. pag. 174. col. 2. §. Apoplectici. & c. 5. de Paralyt. p. 180. col. 1. §. Paralyt. febris valida.

Certè, si magna in Infirmo nostro fuisset febris, non fuisset relictus in Hospitali Incurabilium, idque ex more istius Hospitalis, juxta quem, si superveniat morbus, qui Medicinæ indigeat, Infirmi ad aliud Hospitalē transferri solent, ut ibi iisdem administrantur opportuna Remedia, quæ in Hospitali Incurabilium non porriguntur. Deinde, est, quod Infirmus noster eo tempore, quo mansit in Hospitali, fuerit detentus febris, nihil illa facit contra Miraculosam Sanationem, nisi eandem detent-

200.

detentus fuisset ipso tempore Sanationis: & si hoc etiam probaretur, adhuc disquirendum foret, an febris eo tempore fuerit ejusdem gravitatis, quâ tempore antecedente, vel minor, aut major: si ejusdem gravitatis, cum illa per tres omnino menses ne paulum quidem minuere Paralyfim potuerit, non potest intelligi, quomodo momento temporis valuerit hoc efficere; nam, ut Philosophicum Axioma habet, idem manens idem, semper facit idem. Multo minus juvare potuit febris, si tempore, Sanationem immediate præcedente, fuit minor, quam antea. Si verò major, non est perceptibile, quomodo è lecto ter surgere, & ad Capellam Beati sese conferre potuerit, qui hoc non poterat febrî minus forti detentus: & certè id Infirmarii non permisissent, & si etiam hi permisissent, non permisisset ipsa febris, ut ab Hospitali discederet vegetus, & robustus, viribusque constans, aptusque esset ad solam occurrentem transiliendam, & tantum iter pedestre emetendum; quamvis enim febris aliquando alterius morbi medela sit, semper tamen est virtum dissipativa, ita, ut imbecillitas adhuc sat longo tempore, morbo jam sanato, restet: quod demonstrat quotidiana experientia, quâ videmus ubique Infirmos, è Valetudinario egredientes, ob vires necdum satis resectas, scipionibus niti, & ne sic quidem à casu, & ruina sufficienter tueri se posse. Majori certè robore instaurari debent crura, quæ universi corporis molem, pondusque sustentant in ambulando, quam brachia, & manus, quæ movere se solum debent, aut leve pondus levare. Inefficaciam febris, ad Sanationem in hoc Casu producendam, clarius demonstrat, imò ex febrî asserta periculum auget idem ipse Testis, qui de febrî deponit; nam dicit insuper, Infirmum fuisse Phthisicum, & Hecticum: quod si verum est, febris ista non potuit esse alia, quam quæ Hecticos, & Phthisicos, seu tabe consumptos comitatur; nam tantum abest, ut per hanc liberetur ille, qui Gallico morbo detentus est, ut potius, teste Sennerto, in vitæ periculum tunc maxime incidat, cum ad tabem properat. Consequenter Infirmus noster aut nullâ, aut Hecticâ duntaxat, h. e. illâ, quæ perniciosior esse solet, febrî detinebatur: quod sanè Miraculi vim auget, & clarè ostendit, robur illud, quod ille post trinam Capellæ visitationem recuperavit, non febris, aut alio naturæ, vel artis adminiculo, sed per merita, & intercessionem B. Turibii divinitus obtinuisse.

201. Ad 6. Rationem dubitandi, quintuplex ibi Objectio ponitur. Et I. Quidem, quòd Sanatio hæc non videatur esse Instantanea. Circa hoc notandum, quòd in Sanationibus Miraculosis Adverbia, *Statim, illico, in continenti*, & similia non physice, sed moraliter accipienda sint, secundum qualitates morborum, quibus pensatis, sit locus arbitrio Judicis,

ut tradit Malvet. de Canoniz. Sanct. dub. 3. §. 3. n. 3. & 4. & Contelor. c. 17. n. 13.

adeò, ut in morbo gravi, longo, & contumaci, præsertim si cum pluribus aliis gravibus Infirmis complicatus sit, spatium tridui valde modicum reputari debeat, & instantanea Sanatio dici debeat, si intra tempus, quod inter Invocationem, & Sanationem intercessit, nulla supervenerit Crisis, vel aliud Remedium fuerit applicatum,

ut l. cit. notat Malvet. n. 28. & consentit Card. Laur. D. 20. de Mirac. art. 20. n. 806. pag. 596.

ubi, dupliciter, ait, posse accidere, ut Miraculum non sequatur statim, seu illico ad Invocationem: primò; quia, factâ Invocatione, seu applicatione Reliquiæ, non sequitur, sed fit aliud quod remedium, vel accidit Crisis, vel morbi periculus a venit: & tunc nullatenus eventus ille censendus est miraculosus, sed naturalis, vel saltem dubius. Secundo accidere potest, ut post Invocationem in una hora, aut die non obtineatur eventus, sed post Invocationem in alia die, vel hebdomada, vel mense obtineatur eventus; at medio illo tempore neq. fuit applicatum remedium, neque accessit Crisis, neque constat de periodo: & tunc eventus ille erit Miraculosus; neque officit, quòd non in prima, sed in postrema invocatione accidit eventus, quia id ex duplici capite, potuit evenire, vel ex defectu fidei, seu fiducia in Patiente, aut Invocante, vel ex DEI Providentia, exigente majorem dispositionem in Patiente, vel probante illius patientiam. In hoc nostro Casu adhibita quidem principio fuerunt competentia Remedia, sed cum fructus ex illis nullus secutus sit, Medici Infirmum, tanquam incurabilem, deseruerunt, & Medicamenta omnia per tres menses fuerunt omissa; nulla etiam intervenit Crisis, quippe quam Testes aperte excludunt; insuper Morbus non fuit Periodicus, quia Paralyfis erat, quæ Periodum nullam habet; præterea idem Morbus fuit admodum pertinax cum attractione, & deperditione motus in media parte corporis; denique Infirmus, ut ipse testatur, non concepit fiduciam consequendi Sanitatem integram in primo accessu ad Capellam, sed post iteratas visitationes: hinc primùm in tertia visitatione integrè sibi est restitutus, in duabus præcedentibus verò solummodo meliorationem sensit, ut augetetur ejus fiducia erga Beatum. Igitur Sanatio hæc adhuc juxta doctrinam cit. Cardinalis instantanea, & miraculosa dicenda est. Exemplum habemus in Actis Canonizationis S. Francisci Salesii, ubi Claudius Julianus, postquam tertia vice ad Sepulcrum Sancti à Matre delatus, illudque osculatus est, tunc primùm, consolidatis bassibus, & plantis, momento surrexit, & exiliens stetit, & ambulavit. Simile Exemplum refertur 4. Reg. 5. ubi Naaman Syrus non semel, sed septies in Jordane lotus est, donec à lepra mundaretur: quas tamen

tamen Sanationes pro Miraculosis approbavit Ecclesia. Miraculum præfens auget ipsa qualitas morbi; nam affectio Paralyfis, licet non confirmata, ut advertit Fossombronus in sua Relatione super istud Miraculum, & hoc teste, communiter Doctores sentiunt, non nisi post menses resolvi naturaliter potuisset, cum sit morbus solutu difficillimus. Ratio hujus difficilis Sanationis sumitur

ex Hippocrate *libr. de Loc. hom. 9.*

ubi cum dixisset, facilius curari morbos, qui à venis oriuntur, quam qui à nervis, pro causa differentiae dat, quia morbus, qui à venis oritur, *diffluit cum humore, qui venis inest, & non quiescit: nervi autem sunt siccii: quicumque autem morbus in ipsos pervenit, roboratur, & quiescit in eodem loco.* Constat autem Paralyfis potissimum in nervis, quos humor crassus, & congelatus obsidet. Igitur difficillima curatu est: consequenter tempore indiget, nec Miraculum tollit, si Sanatio ejus non contingat in instanti: imò ex hoc ipso, quòd non contigerit in instanti, deducitur, Sanationem fuisse miraculosam; nam si in instanti Physico integrè, & perfectè contigisset, potuisset fortassis ambigi, an non naturali aliqua efficacia conceptae passionis vehementis Paralyfis discussa fuerit; quia verò intra triduum, post iteratos, & ferventiores actus Invocationis Beati, ad hujus proportionem fuit diminuta Infirmitas tali, ut dictum est, modo, nempe sine Crisi, & applicatis Remediis, ut in sua Relatione notat Manfredus, videtur clarum esse Miraculum.

202.

2. Dum Cissi, aut, prout unus ex Testibus asserit, mulæ auxilio in reditu ex Hospitali ad domum propriam usus sanatus est, non probat, illum non perfectè Sanitati restitutum fuisse; nam hanc perfectè ab ipso illico post tertiam visitationem Capellæ obtentam fuisse, satis ostendit, quòd latam foveam aqua plenam alacri saltu transfilièrit, quòd facere vir fortis, & robustus vix potuisset, & expedito gressu per sexcentos passus iter pedestre sit profectus, ut adeò Miraculum hoc fuerit simile illi, quòd obtinuit à S. Petro claudus ille, cui *proinus ad verbum Apostoli consolidata sunt bases ejus, & planta, ut exiliens staret, & ambularet,* præsertim si considerentur notabiles circumstantiæ, quæ in Casu nostro intervenerunt, scilicet, quòd facta sit Sanatio, nullis omnino per trimestre spatium applicatis Medicamentis, nullà Crisi interveniente, & ita perfectè, ut ipse Sanatus per quinque annos, quibus supervixit, integrè valetudine usus sit, & Chirurgicam artem, sicut prius, exercere potuerit. Hinc ex Cissi, vel mulæ usu solum inferri potest, quòd id fecerit, ut expeditus iter suum proficeretur: in quò prudenter egit; nam quærere opportunitatem, aut illà sibi ultro oblata uti prudentis est: nec inde argui impotentia, vel debilitas potest, cum quotidie videamus, Viros No-

biles curru per urbem vehi, non quòd pedibus iter illud non possint perficere, sed ut commodius, & celerius negotia, quibus occupantur, expediant.

3. Ut ostendatur, nullam virium pristinam partem ab Egroto nostro ante accessum ad Capellam recuperatam fuisse, sufficit considerare verba Testium, dum ajunt, illum reptando cum maximo labore illuc tandem pervenisse: quæ verba indicant omnimodam ad gressum impotentiam in cruribus tum adhuc extitisse. Hinc istorum defectum debuerunt supplere fulcra, quæ quantum in hujusmodi Infirmis valeant, suo exemplo demonstrant non tantum, qui habent impeditos pedes, & crura, sed & alii, qui iidem penitus destituti, nihilominus fulcrorum beneficio per urbem ambulant.

4. Quòd crassi illi humores, qui Paralyfim causant, si hæc inveterata sit, non ita facile ad debitam temperiem reduci possint, ostendit in Casu præfenti effectus ipse; nam Paralyfis per adhibita diu Medicamenta, aliàs maxime idonea, solvi minime potuit. Confirmant hoc ipsum placita Doctorum, ex quibus

Cælius Aurelianus *Chronicon libr. 2.*

c. 1.

docet, affectionem istam difficillimam esse, præsertim si omnino motus in partibus sit perditus, & si successerit post alium morbum, corpùsque sit debile; sic enim inquit, *Est autem passio generaliter gravis, atque difficilis, sed gravior curatione fiet, quoties toto sensu caruerint partes, atque motu, & in corporibus jam dudum debilibus, vel senibus, aut ex alio morbo pravitiatis, ut Epilepsia, febre &c.* Consentit

Dominicus Leonus *lib. 3, art. Medic.*

sect. 1. c. 1.

ubi, *Paralyfis, ait, in Juvene à materia humida, & frigida difficiliter curatur.* Et paulò inferius magis ad casum, *Membrum, inquit, Paralyfi affectum si extenuatur, & ejus naturalis calor permutatur, nullam admittit curationem.* Addit: *Paralyfis inveterata, videlicet, post annum, pariter incurabilis est.* In præfenti autem Casu pedes, & manus carebant motu, corpus erat debilitatum ex multis, & diuturnis præcedentibus morbis, Paralyfis orta fuit ex materia frigida, nempe à Morbo Gallico præcedente dependens, præcedebant materia congestæ in tumoribus, partes erant extenuatæ, & actu frigida, ipsa Paralyfis non unius tantum, sed plusquam trium annorum continuatione fuit inveterata: proinde humores crassi, qui eam causarunt, non ita facile, nec tam citò, præsertim postquam trimestri spatio medicamentum nullum adhibitum fuit, extenuari, & ad debitum temperamentum reduci poterant.

5. Non repugnat, imò sæpe contingit, alicujus partis contractionem, quamvis per accidens, à præcedente Paralyfi originem, & dependentiam sortiri.

ut ad-

ut advertit Felix Platerus *Prax. tract. de funct. laison. l. 2. c. 2. pag. 332. §. incessus, & statio, ibi,*

*Sed & motus, qui a partibus obeuntur, cessant, si ha partes (quod separatim ferè si fit, uni alicui contingere solet) contracta subsistant, unde incurva, flexa, vel rigida apparent: quod in pedibus, & manibus, ipsorumque digitis permanens, & frequens est malum in illis, quos Contractos vulgus vocat, licet & his partibus resolutis, sic eos appellare soleant.* Et verò, quod Contractio sic dicta cum Paralyfi conjungi possit, patet ex utriusque origine; nam Paralyfis fit ab impedimento in nervis, quod esse potest vel status, vel humor crassus, & viscidus, impediens influxum spirituum animalium in partem determinatam, ex quo sequitur deperditio motus, & sensus; Contractio verò producitur, vel à convulsione per repletionem, aut exinanitionem nervi, vel à musculi, hujusque tendinis tremore, vel ab alicujus articuli luxatione, ut contingit in Gibbis, vel à musculi resiccatione, vel ab humoribus crassis induratis in gypseam conditionem, ut quotidie videmus in iis, qui diuturna, & pertinaci laborant podagrâ. In nostro Casu adfuit deperditio saltem motus in dimidia parte inferiore: consequenter adfuit Paralyfis; nam ista aliquando solum est deperditio motus in parte affectâ. Quod verò etiam adfuerit Contractio, colligitur ex eo, quia hic præcesserunt, vel concurrerunt pleræque ex prædictis circumstantiâ, & causâ Contractiois; nam 1. Infirmus noster diuturnis morbis antecederet erat affectus, & quidem gravissimis: ideoque 2. Pluribus morbofis scatebat humoribus, & quidem crassis, cum hi sint, qui morbos diuturnos producant: eoque magis, quia 3. Morbi isti soboles fuerunt luis venereæ, quæ contumacissima est affectio, pendens à crassorum, & facile congelabilium humorum colluvie, ossibus, & præsertim articulis inimica, ut quotidianâ constat experientia. 4. Idipsum manifestavit tumor, in partibus inferioribus obortus, frigus, & emaciatio in pedibus, & manibus, quæ indicio sunt, quod ab iisdem crassis humoribus in iisdem partibus impeditus fuerit influxus spirituum animalium, & humoris nutritii: ut adeo manifestum sit, Infirmum nostrum laborasse tam Paralyfi, quam Contractioe; & sic defacto tam Paralyticè resolutus, quam Attractus à testibus omnibus non modo denominatur, sed etiam clarè describitur. Nihil autem ad rem refert, an una ex his affectionibus alterius fuerit causa, an verò illæ fuerint concomitantes, & coetanæ; potest enim verificari uterque calus. Neque repugnat hoc Principiis Medicis; nam ad summum ex his inferitur, quod Paralyticus in parte Paralytica non possit pati Contractioem veram, non verò, quod non in eadem pati possit Resolutionem, quam nos Germani vulgò Contractioem dicimus: imò hæc

*R. P. Schmalzgrueber Cons. Tom. I.*

Paralyfi semper congenita est; est enim Paralyfis resolutio partis affectæ.

His ita Discussis, & Testium depositionibus bene consideratis, videtur constare de omnibus, ad verum Miraculum requisitis. Nam 1. Morbus, quo laboravit Infirmus noster, fuit inveterata Lues venerea, cujus signum erat Apostema illud, quod ille in partibus inferioribus habuit; nam istud Medicus Lancisus in Relatione sua, super hoc Miraculum depositâ, dicit fuisse Bubonem venereum. 2. Luis istius, post plures alios complicatos gravissimos morbos, Symptoma, seu, ut claritè dicam, decubitus fuit ipsa Paralyfis, & Attractio, in manibus, & tota parte inferiore denique post istam secuta, quâ ita misère affligebatur Infirmus, ut manus admoveere ori difficulter posset, adeo, ut cibum capere alieno ministerio coactus fuerit, pedum autem usum omnino amiserit, & ne fulcris quidem innixus, nisi ægerrimè, posset incedere: de quo testantur in Processu Apostolico auditi testes quatuor, omnes de visu, quibus accedit ipse Sanatus, & tres alii testes, pariter de visu, examinati in Processu, instituto autoritate Ordinaria.

2. Infirmus, post tentatam longo tempore curationem, denique à Medicis, ut iidem testes deponunt, tanquam incurabilis relictus fuit. Iustum verò hoc Medicorum iudicium fuisse, ostendit ipsa qualitas, & origo Morbi istius; nam Paralyfis in hoc casu orta est ex variis morbis, productis à Lue venerea, ex qua sæpe contractio membrorum nascitur.

*Zaccut. tom. 2. prax. Histor. l. 1. c. 10. de Paralyf. pag. 225. col. 1. fin. Sennert. rom. 3. pract. l. 1. p. 2. c. 27. de Paralyf. pag. 137. col. 1. §. patet ex iisdem. Joan. Fortis tom. 2. consult. & respons. Medic. cent. 1. consult. 32. pag. 53. col. 2. princ. River. prax. Medic. c. 5. de Paralyf. pag. 179. col. 2. fin. §. quodsi,*

ubi de difficultate curandi hunc morbum disserens, *Paralyfis, ait, ab humore pituitoso, nervorum substantia impacto, genita, curatu difficilis est, quia ægerrimè discutitur propter frigiditatem partis, ejusque debilem expulsericem, qua remediis cooperari debet, & situm spina, nervorumque profundum, ita, ut ad eas partes vis remedium integrum pervenire non possit.* Et verò hanc difficultatem, imò impossibilitatem curationis in Casu præsentis satis ostendit, quod morbus non cesserit remediis exhibitis, antequam Infirmus duceretur ad Hospitale Incurabilem; Paralyfis autem, cum vehementioribus non cesserit remediis, inexpugnabilis censenda est,

ut ait Joan. Fort. l. cit. consult. 54. pag. 71. col. 1. prop. fin.

3. Esto, quod, ut aliqui Practici volunt, etiam Paralyfis inveterata sanabilis sit, certè neque natura, neque ars intra hoc tempus, quo id in Casu præsentis factum est, sanare illam potuisset; nam in Paralyfi inveterata

L 11 11

desue-

206.  
Argumenta  
pro Mira-  
culo.

207.

208.

defuefcit natura, per nervos demittere animales spiritus, quo fit, ut concidat, & flaccescat eorum substantia, usque dum iterum ad recipiendum eorundem spirituum influxum apti reddantur, quod fieri, nisi intra diurnum tempus non potest,

ut docet Paul. Zacch. *qq. Medic. Leg. l. 4. tit. 1. q. 8. n. 40.*

ideoque, si etiam contra commune DD. placitum hæc triennis Paralyfis expugnabilis dici potuisset, saltem tam brevi tempore id, ordine naturali spectato, impossibile fuisse est judicandum; si enim ad recuperandas vires, per quamcunque etiam levem Infirmi-  
tatem afflicta, longitudine temporis opus est, multo magis hoc requiretur, ubi nervos, musculos, & articulos crassi, tenacesque affecerunt humores, & membra ipsa, potissimum inferiora emortua reddiderunt, ut à fortiori de nuda febris loquens docet

Card. Laur. *D. 20. de Mirac. art. 21. pag. 604. n. 910.*

209.

4. Auget integræ sanationis impossibilitatem contractio partium Paralyticarum, inducitur per exsiccationem, causata à Paralyfi, quæ iis partibus sustulit alimentum; nam hæc Contractio non illico, si etiam Paralyfis curata fuisset, auferri poterat, quippe ad quod efficiendum opus erat, ut, ablata Paralyfi, eadem partes, nutrimentum paulatim suscipientes, iterum emollirentur, & ad sui extensionem redderentur idoneæ: quod pro impossibili habet

Petr. Forest. *l. 10. obs. 106. pag. 440. col. 1.*

ubi de Contractione convulsiva loquens, *Si verò, inquit, sit inanitione cum tensione, curam non recipit: & esto, possibile sit, non tamen, nisi post longi temporis tractum, succedere poterat.*

210.

5. Restitutus autem est noster Ægrotus non modò ab utraque affectione, sed simul etiam intra tempus brevissimum; nam, ut in Processu, instituto autoritate Ordinariæ, testatur ipse Sanatus cum quatuor aliis testibus de visu, & confirmant in Processu Apostolico quatuor alii, testes de auditu videntium, atque ex his duo in pluribus de visu, idem Sanatus intra tres dies integram, perfectamque sanitatem recepit, ita, ut juxta eosdem testes alacri saltu occurrentem sibi fossam admodum latam transilire, expeditis pedibus longum iter peragere, ac deinceps per quinque reliquos vitæ annos perfectè sanus, Chirurgicam artem liberè exercere potuerit.

211.

6. Et hæc quidem sanatio facta est 1. Postquam, applicatis frustra remediis, Infirmus à Medicis, tanquam incurabilis proclamatus est. 2. Post trimestrem in Hospitali Incurabilium moram, ubi nullæ Infirmis, in eo consistentibus, applicantur Medicinæ. 3. Nulla interveniente Crisi, Apostemate, fistula, aut alia evacuatione, vel naturæ beneficio, quo morbi malignitas expelli poterat. Præterea 4. Ad eandem

eandem sanationem nihil conferre potuit ætas Infirmi, cibi qualitas, aut situs loci, in quo Valetudinarium prædictum positum est, ut ostensum est *Num. 197. sed 5.* Denique secuta est immediate post triplicem visitationem Capellæ Beati Turibii, & auxilium istius, ferventi prece, & cum lacrymis imploratum, de quo in Processu Apostolico deponunt quatuor testes de auditu, & in Processu Ordinario duo de visu, duo alii de auditu cum ipso sanato: ut adeò sanatio hæc naturæ viribus adscribi nequeat. Et hinc

7. Ut concorditer testantur tres testes in Processu Apostolico, & quinque alii in Processu Ordinario, Chirurgus, Medicus, Infirmarius, & cæteri omnes eandem sanationem pro Miraculosa habuerunt: ex quibus Medicus hujus sui iudicii congruentissimam dat rationem; nam, postquam dixit, hanc sanationem B. Turibio adscribendam esse, addidit; *quia non reperitur in Medicina remedium ad perfectam sanitatem restituendam Paralytico, in ultimo gradu, & termino istius Infirmi-tatis constituto, quoddam consistant quasi emortua, frigida, & gelata partes omnes, totam organizationem humani corporis constituentes.* Idem iudicium etiam fuit trium Medicorum, in Peritos electorum, Lancisii, Manfredi, & Fossombroni, ut constat ex eorum Relationibus super isto Miraculo. Et merito; nam

8. Similis sanatio, ut supra dictum est *Num. 201.* à Sancta Sede pro Miraculosa est agnita in Actis Canonizationis S. Francisci Salesii, S. Thomæ de Villanova, S. Paschalis Baylon, & in Declaratione Martirii B. Iosaphat Polocensis. Consequenter idem iudicium merito ferri potest in Casu præfenti, & hoc fortè in fortioribus terminis, cum in hoc vires integræ post trinam Capellæ visitationem momento redierint; nam longa quies artuum ita discurrentibus spiritibus aditum intercludit, ut tametsi partes illæ nullo morbo affectæ fuerint, quemadmodum videmus in diu captivis, tamen diu satis naturales motus liberè exercere non possunt, præsertim crura, & pedes, quibus universa corporis moles innititur. Multò igitur magis contractio, per triennii lapsum inveterata, difficultatem istam, etiam curata, ad aliquod tempus debebat relinquere. Dum ergo videmus, Sanatum nostrum momento sic convaluisse, ut non tantum facile gressus movere, sed etiam latam, profundamque fossam alacri saltu transilire valeret, non potest hoc alii, nisi supernaturali virtuti attribui.

Censeo igitur Sanationem præsentis Ægroti merito posse, & debere inter Miraculosas connumerari, cum de hujus Relevantiæ, extremis, & Invocatione Beati Turibii per novem testes, plerosque de visu proprio, abunde constet. Nam 1. Morbus fuit Paralyfis, sive vera, sive spuria, inveterata, orta

ex Morbo Gallico, conjuncta cum pluribus aliis infirmitatibus, privans omni pedum, & potissimo manuum usu, ita, ut cibum sumere aliena manu necesse infirmus habuerit: & in hoc statu idem infirmus continuavit per tres omnino annos, nihil proficientibus Medicamentis solicite adhibitis: unde tanquam desperatus, a Medicis relictus fuit, & in Hospitale Incurabilium denique deportatus.

215. 2. Cum in Hospitali isto per tres Menses decubisset, concepta ad Beatum fiduciam, ad Capellam, ejus honoribus dedicatam, Intercessionem ejusdem imploraturus, adrepit, idque secunda, & tertia vice repetit: de quo deponunt quatuor testes, in Processu Apostolico repetiti, omnes de auditu tum a Sanato, tum ab aliis videntibus: quod ad probationem Invocationis sufficere debet, quippe ad quam probandam unicus etiam Testis recipitur, praesertim si pro adminiculo addantur duo alii testes de visu, cum ipso Sanato, in Processu autoritate Ordinaria instituto, auditi.

216. 3. Eo ipso momento, quo primam visitationem Capellae instituit infirmus, nulla adhuc ex parte remiserat morbus: implorata autem ibidem Intercessione Beati, melius sese habuit, quae melioratio augmentum accepit in secunda, in tertia demum ita perfecte sibi restitutus est, ut relictis in Sacello subalaribus fulcris, exiliens, & Miraculum ubique praedicans, liberis pedibus ex Valentinaro repetierit domum suam, in via latam, quae sibi occurrerat, fossam agilis, & expeditus transfilerit, & per quinque annos, quibus supervixit, perfecta sanitate gavilus fuerit: quod omnes, qui viderunt, & audierunt, pro Miraculo habuerunt, proque tali pronuntiare non dubitarunt tres Medici, in Peritos electi, in suis coram Sanctissimo factis Relationibus, ea duCtatione, quod morbus hic fuerit inveteratus, nullum remedium per tres omnino menses adhibitum, nullaque Crisis, vel aliud naturae beneficium, quo malignitas morbi istius potuisset expelli, supervenerit.

MIRACULUM VII.

Subita Sanationis Ulceris Gangranosi in Crure.

217. A Nno 1684. Mense Novembri Petronilla Arias Maldonado laborare coepit fluxione quadam in crure sinistro prope partem, qua illud cum genu conjungitur. Ad derivandum peccantem humorem, apertus est ei in ea parte fonticulus. Post sex, aut octo dies apertura, repentinus, & acerrimus dolor eam invasit, ita, ut coacta fuerit amovere fasciam, qua cauterium circumligatum erat. Hac amota, conspexit, crus illud mirum in modum intumuisse, insuper con-

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

fluxisse ingentem humoris copiam, qui tanta cum violentia ex parte affecta emittebatur, ut ipsum crus inflammatum, & nigricantes ibidem maculae majoris mali metum incusserint. Cum praeterea febris accessisset, & dolores acius cruciarent, accitus est Chirurgus, qui laesa parti tertium applicavit praecipitatum pulverem cum admixto melle rosaceo. Tertio visitanti partem affectam, aperte sese gangraena prodidit, quae quia carnem circumpositam jam vitiaverat, idem Chirurgus resolvit opus esse rescindere carnem nigrescentem, ipsumque ulcus ferreo instrumento rimari altius, sicque plagam mundare ad impediendum progressum gangraenae, in cujus curae experimento cum videret subesse periculum, aegrotam suavit, ut Confessione Sacramentali prius animum expiaret.

Vehementer effatum hoc miseram terruit. Quare in tanto discrimine constituta, memor Miraculorum, quae intercessione B. Turibii e suggesto celebrari audiverat, ejusdem Beati patrocinio se commendavit, promisitque, si sanitatem illius ope consequeretur, se Miraculum testificaturam in Actis publicis, quae pro ejus Canonizatione tum temporis conficiebantur. Hinc plena spe consequendae sanitatis, acceptam Beati Iconem, quam prope lectum appensam habuit, tibiae alligavit, precationem saepius ea nocte repetens ad eundem, ne crus ferrum experiri permitteret.

Alterà die mane, quae, ut Testis 24. deponit, erat secunda, aut tertia morbi, cum advenisset Chirurgus, sectionem facturus, Petronillam reperit facie laetam, & febris vacuum. Admirationem auxit, cum, ablatis a crure fasciis, illud invenit absque ulla profusa laesione ex integro confanatum, adeo, ut nullo amplius remedio opus esse, sed B. Turibio, cujus opem ab Aegrotam imploratam audivit, gratias duntaxat agendas dixerit ob tam insigne Miraculum, quod ipse etiam ubique celebrare non destitit.

Rationes dubitandi, quae contra hoc Miraculum opponi possunt, pleraeque concernunt Relevantiam hujus Miraculi. Et I. Quidem videtur Morbus iste naturaliter curari potuisse; nam, ut Fossombronus Medicus, in Peritum electus, in Relatione sua ait, ne eorum quidem, qui a Galeno Meth. c. 6. periculosi vocantur, conditionem habuisse manifestum est, si circumstantiae rite dependantur. Si partem affectam spectemus, talis illa est, quae ab ipsa Arte ad cauteria susferenda seligitur: si ulceris magnitudinem, latitudinem, & profunditatem, illa sane trium dierum, quibus morbus iste duravit, spatium, non eo usque extendi potuit, ut notabile periculum inferre posset: si inflammationem, illa, licet, secundum se inspecta, fastidiosa sit, utpote febrim, & dolorem augens, attamen respectu ipsius Ulceris signum minoris mali esse censetur ab Hippocrate s. Aphor. 65. Si denique ipsam Gangraenam,

218.

219.

220. Argumenta contra Miraculum.

nam, quâ laborâsse Ægrotâ dicitur, etiam posito, quòd talis fuerit, ea in suo principio fuit, utpote duorum, vel ad summum trium dierum, consequenter illa ipsâ periculo vacabat

juxta Hartm. pag. 972. Ettmüll. pag. 587.

nec enim, ut isti notant, *tanti faciendâ Gangræna est in suo principio, si appropriatis Medicamentis à perita manu tractetur.* Accedit, quia

221.

2. In hoc casu videtur cessare etiam Suppositum Gangræne; nec enim Testes illam concludunt, sed diversimodè loquuntur, & aliqui quidem istorum de Gangræna nullam omnino mentionem faciunt. Ipse Lancisius Medicus, in Peritum electus, ait, in Infirma videri Erysipelas in crure affecto cum acuta, & maligna febre: consequenter Relevantia Miraculi in tuto esse non potest, cum simplex liberatio vel ab Erysipelate, vel à febre inter Miracula connumerari non possit, quippe quarum utraque per artem curabilis est; nam,

ut Gaspar de Reyes q. 24. notat, ad Miraculum requiritur, ut morbus vel impossibilis, vel curatu difficilis existerit; quia Miracula circa ardua, non circa levia sunt. Insuper

222.

3. Fuerunt adhibita potentissima remedia, & signanter illud præcipitati Mercurii, cujus usus fuit continuatus usque ad noctem, quæ Sanationem præcesserat, in quo factò concordant omnes quinque Testes, pro hoc Miraculo allegati. Quapropter ope dicti Medicamenti, & sic viâ naturali potuit evacuari, digeri, & expurgari materia, quæ ad partem affectam affluerat.

Sennert. *Medic. præst.* l. 5. p. 2. c. 14. Vel saltem ad minus dubium ex hoc relinquatur, an Sanatio processerit ex Miraculo, vel potius ex his Remediis: quod satis est, ne miraculosa existimari debeat, uti ad rem ponderat

Paul. Zacch. *QQ. Med. Legal.* l. 4. q. 8. n. 12.

ubi, *Si ergo, inquit, post longum Remediorum usum, quæ quidem pateat, maximè proportionata morbo fuisse, vel ex aliquo novo præsidio, etiam proportionatè in usum convocato, etiam longè ab ejus administratione quis sanetur, & effectus Remediis correspondeat, ad eorumque virtutem referri sanitas possit, hoc absque dubio, quantum ex hoc est, Miraculum non erit.*

223.

4. Dubium augetur, quòd nullus Testium memoret quantitatem materiæ, quam, ex ulcere excretam, Ægrotâ, dum fascias solvit, Imaginem cruri circumligatura, invenit. Solum referunt, quòd, cum eandem Imaginem læsæ parti applicare vellet, fascias, quibus circumligata erat, tolverit, medicamenta removerit, ab unguentis crus absterferit, illudque laverit aquâ limpida, subin dictam Imaginem cruri circumligaverit. Pronum au-

tem est credere, quòd, cum Medicamentâ à crure absterferit, etiam cum hac absterferit materiam, excretam ex ulcere, ex cujus proin quantitate, si de ea Testes deposuissent, potuisset colligi, an dicta Medicamenta habuerint in excretionem illius activitatem aliquam, & quidem tantam, ut suffecerit ad Sanationem morbi per evacuationem morbosæ materiæ: pro qua re servire potuisset testimonium Matris Ægrotæ, utpote huic semper præsentis, cujus depositio tamen desideratur. Et verò

5. Aliquam materiam ex crure affecto effluxisse, indicant sanguineæ maculæ, quæ postea in Imagine, cruri superpositâ, inventæ sunt, ut testatur ipsâ Sanata in Processu, instituto Autoritate Ordinaria. Multum etiam ad Sanationem, & libertatem à morbo conferre potuit ipsâ lotio partis affectæ; ex tali enim lotionem, & absterfione ulcus sanari, habetur

ex Sennert. p. 2. cit. c. 2.

ibi: *Impedimenta removeant absterfendo, & exsiccando; hoc enim agendo carnem generat, & cicatricem inducit.*

6. Concurrit etiam, quòd semper remanserit apertus fonticulus, unde potuit tabes illa habere exitum: de quo factò, & persistentia fonticuli aperti, etiam post secutam Sanationem, in Processu, instituto Autoritate Ordinaria, deponit ipsâ Sanata cum tribus aliis Testibus.

7. Auget facilitatem curationis 1. *Ætas Infirmæ*, utpote quæ fuit puella Juvenis 18. annorum. 2. *Brevitas morbi*, ut adeò vires, quibus morbo resisti debuerat, nondum fuerint prostratæ. 3. *Incertitudo de statu morbi*, cum aliqui ex Testibus deponant de morbo per naturam, & artis opem non difficulter curabili. 4. *Judicium ipsius Chirurgi*; nam hunc ipsum spem habuisse, quòd Medicamenta proficere potuissent, colligitur ex depositione Testis 25. qui ex auditu ab eodem Chirurgo refert, istum pridie Sanationis dixisse, si malum non remitteret sequenti die, opus fore, ut tota materia infecta rescinderetur: quod confirmat etiam Testis 36. Autoritate Ordinaria pariter de auditu à Chirurgo. Quantum verò ad Judicium istius Chirurgi de præsentis Miraculo attinet,

8. Idem Chirurgus nimium exaggerat Miraculum hoc, dum in depositione sua, factâ Autoritate Ordinaria, ait, illud esse de primæ Classis Miraculis; nam, posito etiam, quòd Sanatio supernaturalis fuerit, constitui illa non potest, nisi in tertia Classe: ex quo eidem Testi fidem detrahi dixit Rota

*decis. 544. n. 5. p. 18. tom. 2. & decis. 221. n. 2. p. 19. recent.*

9. Denique non videtur esse satis probata Instantaneitas Sanationis; nam ex depositione Testium Petronilla non vidit crus Sanatum, usque dum altera die Chirurgus illud

discoo;

dilcooperuisset. Consequenter non constat, quòd illico secuta sit post Invocationem, prout tamen aliàs in Miraculis tertii generis necessariò requiritur.

Ad hæc Argumenta aptè responderi potest.

228.  
Responde-  
tur ad Ar-  
gumenta  
opposita.

Ad 1. Impossibilitatem, vel saltem difficultatem Sanationis in Casu præsentis facit Gangræna, ex ulcere cruris exorta, quam periculosum esse malum cuius facile patet, inquit Sennert. *Medic. pract. l. 5. p. 2. c. 19. in Prognost. n. 1.*

rationem ibidem reddens; nisi enim, subiungit, citissimè auxilium feratur, in Sphacelum degenerat, & pars planè emoritur. Contentit

Fabric. ab Aquapend. *Pentatev. l. 1. c. 19.*

ubi, *Gangræna*, inquit, curabilis quidem est, sed adeò difficulter, ut nisi quis præstantissimo remedio occurrat, pars continuo quodam motu sensim moriatur, ac brevi temporis spatio hominem jugulet. Ex quo cessat difficultas, in eo posita, quòd Gangræna fuerit in suo principio, & in fieri, non verò in factò esse; nam hoc breve dierum spatium, quo in præsentis duravit Gangræna, imò longè brevius sufficit Gangræna ad interimendum, præsertim si ex affluxu noxiorum humorum sit orta, ut clarè confirmat Aquapend. *l. cit.* ubi, *In praxi*, inquit, *rare vidi, Gangrænas affluxu feliciter terminatas esse: interdum etiam vidi, homines perisse unica die, ut senes, interdum pluribus, ut juvenes.* Longum itaque tempus respectu Gangræna sunt quatuor dies, ut in Relatione super hoc Miraculum notat Manfredus Medicus, in Peritum electus. Imò, esto, Gangræna in principio suo fuerit, ipsa brevitatis temporis potius Miraculi splendorem auget; cum enim ea fuerit Morbi natura, ut ad septimum saltem diem augmentum suum protrahere debuerit, imò fortasse etiam Infirmam perimere, certè Miraculo dandum est, quòd ipsius morbi cursus fuerit interceptus, atque universa malæ affectionis incommoda adeò brevi tempore omnino absterfa.

229.

Ad 2. Qualitas Gangrænae sufficienter convincitur ex depositione testium, juxta quos ita invaluit malum, ut Chirurgus concluderet alterà die redire vel ad pedem infectum omnino rescindendum, vel ad rescandam saltem carnem gangrænatam. Neque obest, quòd reliqui testes Gangrænam non nominent; sufficit enim, quòd Chirurgus, pro cura adhibitus, de ea deponat, quippe cui, tanquam Perito, circa morbi essentiam, & qualitatem est plenè deferendum.

Contilor. *de Canoniz. Sanct. c. 18. n. 18.* Deinde præter Chirurgum de Gangræna etiam deponit Testis 28. de vitu; tres reliqui autem Testes in substantia cum tali individuatione, & circumstantiis morbum describunt, ut apertè convincatur qualitas, & essentia Ulceris Gangrænosii; dicunt enim, su-

pervenisse repente dolorem grandem, tumorem ingentem cum inflammatione, carnem affectam evasisse nigram, imò insensibilem, adeò, ut Chirurgus necessarium fore judicaverit rescindi partem vitiatam: quæ omnia cum signa certa sint Gangrænae non tantum incipientis, sed perfectæ, imò Sphaceli, sufficere debent ad concludendum de atrocitate mali, licet à Testibus nomine suo non expressi; non enim quærendum est de nomenclatura Gangrænae, quam isti testes non exprimunt, quando ex toto depositionum ab his factarum contextu habemus hujus morbi essentiam, & qualitatem; quia ad rei certitudinem nihil interest, an suo nomine, aut eà demonstratione, qua nominis vice fungitur, designetur;

*l. certum est. 6. ff. de reb. credit. Rota coram Coccino decis. 233. n. 7.*

Et sic eorum depositio ad veram, & germanam proprietatem Morbi est reducenda, licet illi proprio suo nomine eum minimè expresserint.

Socin. *in l. sed & illo. §. sede. n. 3. ff. de reb. dub. Farin. de testib. q. 68. n. 47. & 48. Rota coram Coccin. decis. 1380. n. 8.*

Ad hoc autem, ut ad proprietatem reducatur, debet fieri interpretatio, quæ sit consona clarioribus depositionibus aliorum Testium; qui explicitè mali speciem exprimunt.

Socin. *cons. 99. n. 16. Farin. q. 68. cit. n. 56. & 57.*

Ad 3. Non negatur, pulverem illum cum melle rosaceo aptum esse ad minuendam atrocitatem ulceris; ideo enim fuit applicatus à Chirurgo. Hoc solum contenditur, quòd Sanatio, post applicationem Imaginis Beati illico secuta in parte læsa, non contigerit ex vi dicti pulveris; nam, ut Virgo sanata testatur ipsamet, eadem nocte, antequam dictam Imaginem alligaret cruri, inde illa emplastra sustulit, nec usà est alio medicamento: consequenter illis ista non potest tribui, præsertim cum vespere antecedente Chirurgus viderit, non obstantibus medicamentis à se applicatis, malum eò progressum esse, ut judicaverit necessariam esse mane sequenti resectionem partis gangrænosæ: consequenter nullius meliorationis indicium tum apparuit, quod certè apparuisset, si Infirma nostra Medicamentorum ope Sanitatem consecuta fuisset. Imò non potuit ab hoc pulvere Sanatio procurari à Gangræna, quæ Infirma hæc laboravit; nam ut ista curaretur, non sufficiebant solum Medicamenta, quæ putredini resisterent, sed insuper opus erat Remediis magis fortibus, quæ fibrillas, quibus caro viva cum mortua connectebatur, corroderent, partes gangrænatas separarent, & materiam, vitiosam digerent, abstergerent, & expurgarent. Porro Virtus hujus pulveris servire quidem potuisset ad resistendum putredini, aptus tamen

L I I I 3 ille

230

ille non erat ad corrodendam carnem jam emortuam, & in Sphacelum conversam, & ad sanandam partem, à Gangræna venenatam, digerendo, abstergendo, & expurgando materiam humoris peccantis: quod ipse eventus docuit; nam constat, adeò nullum ex eo applicato melioramentum secutum esse, ut ipse Chirurgus, iudicans severioribus Remediis utendum esse, jam adfuerit instructus instrumentis, & medicamentis aliis pro rescissione partis affectæ, ut ex omnium Testium depositione constat. Unde pulvis iste tum solum potuisset ferre opem, si prius sectio, & excarrificatio Gangrænae fuisset facta, quæ tamen, ut dictum, nondum facta, sed præparata solummodo erat.

231.

Ad 4. Mater Petronilla examinari non potuit; quia ante Processum, autoritate Ordinaria institutum, jam erat mortua: quod colligitur ex depositione ipsius Petronilla, facta in eodem Processu Ordinario 26. Januarii 1685. ubi interrogata de Parentibus, dixit, Parentes suos NB. fuisse Dominum Joannem Franciscum Arias Maldonado, & Dominam Antoniam de Medina, quæ denominatio, per Tempus Præteritum fuisse elata, significat eos jam tum fuisse mortuos, ut in similibus firmat

Gloss. in l. ejus, qui in Provincia. V. defuncti. ff. de reb. cred. Felin. in c. fin. num. 1. de testib. cog. Bald. conf. 407. n. 9. lib. 1. Alex. conf. 14. n. 15. lib. 6. Rota decis. 689. n. 9. p. 18. & aliis relatis decis. 90. n. 22. p. 19. recent.

Et cum Miraculum successerit Mense Novembri, ubi Mater adhuc in vivis erat, necesse est dicere, eam fuisse mortuam intra bimestre, inter sanationem, & Processum autoritate Ordinaria intermedium. Ex testibus autem nemo memoravit quantitatem materiæ, deterse ex ulcere; quia nulla talis ex isto profuebat, ut ex eorundem testium, præsertim Chirugi depositione in Examine, autoritate Ordinaria facto, innotescit: Lavanda, & abstergenda quidem sunt ulcera Gangræna, non tamen aqua, sed potius decoctionibus ex Aloë, & Myrrha in spiritu vini factis, vel Unguento Ægyptiaco in eodem spiritu vini camphorato, & similibus; aqua enim tepida, quæ Infirma nostra partem affectam abluat, debebat labem majorem communicare partibus vicinis, & Gangræna ipsa altiores radices figere, si Hippocratici fides est adhibenda, qui

lib. de Ulcerib. cap. 1.

ait: *Ulcera universa non nisi vino humectare oportet, si non in articulo fuerit ulcus; nam siccum sano propius est, & humidum non sano; est enim ulcus humidum.* Unde, etiam si morbus principalis fuisset ulcus fonticuli etiam sine Gangræna, cum non esset in articulo, sed in cure, tantum abest, quòd abluitione aquæ sanati potuerit, ut potius aggravari debuisset, cum aqua non exsiccet, sed humectet.

Ad 5. Guttulæ sanguinis, visæ in Intagine Beati, dum hæc à crure tollebatur, ex depositione ipsius Sanatæ in Processu Ordinario erant exiguæ duæ, vel tres; insuper pannus, quo Ulcus obligabatur, erat mundus, & siccus post sanationem repertus. Igitur non potuit effluxisse tanta materia, quæ tam gravem morbum produxerat. Certè si Chirurgus persuadere sibi potuisset, ex dictis pauculis guttulis aliquem naturalem effectum, sanationi proficuum, sequi potuisse, non exclamasset, eandem sanationem esse certò certius miraculosam. Præterea evacuatio peccantis materiæ, malo adeò gravi proportionata, etiam ex hoc capite incredibilis est; quia videmus passim, ex ejusmodi Cauteriis absque ullo præternaturali tumore tantam humoris copiam effundi, ut duplicatam papyrum, quæ iisdem superimponi solet, undequaque conspurcet, & humectet. Debuisset igitur tota imago in hoc nostro Casu conspurcata, & humectata fuisse, si humor noxius profluxisset ex ulcere in tanta quantitate, quæ pro mole tumoris, quo crus læsum inflabatur, destruenda suffecisset. Et esto, quod incredibile demonstravimus, omnis materia noxia excreta fuerit, non controvvertitur hic de sola detumescencia cruris, sed de extirpata in instanti, & sine humano remedio malitia Gangræna, cujus sanatio naturaliter non perficitur per solam evacuationem humoris noxii, & maligni, sed consistit in extinguenta, & extirpanda venenata qualitate, quam morbus iste pedetentim serpendo comunicat vicinis partibus, etiam si evacuetur humor malignus, qui partes vitiatas corrumpit. Unde, ut in Relatione sua super hoc Miraculum notat Manfredus, ad Gangræna malum sistendum, præter evacuationem humoris maligni per frequentatas excarrificationes, requiritur, ut applicentur remedia septica, & ustoria, quæ qualitatem illam venenatam restinguant, *ne pars sincera trahatur*: quæ remedia cum nondum applicata fuerint à Chirurgo, superest, ut hæc sanatio Miraculo tribuatur. Minus sufficere potuit lotio, & absterfio cruris; nam hanc Sennertus loco in hac ratione dubitandicit. necessariam quidem dicit, sed insuper per integram paginam exhibet quamplura Medicamenta, præter dictam lotionem, & absterfionem longo tempore applicanda.

Ad 6. Fonticulus quidem non fuit illico post sanationem clausus, nulla tamen ex eodem profluxit materia, cum qua noxius humor expelli potuerit. Patet ex cruris læsi post sanationem visitatione à Chirurgo facta, quod, ut ipse Chirurgus, sanata, & alii testes deponunt, repertum fuit omnino siccum, cauterium mundum ab omni tabe, pannus, & Imago ipsa, exceptis duabus, vel tribus maculis sanguineis, libera ab omni sanie, quod fieri non potuisset, si sanatio evacuationi per locum affectum esset attribuenda; cum enim ulcus fuerit plenum ta-

232.

233.

be, partes non pauca carnis mortificatae, & corruptae, non poterat sanatio perfecta contingere, nisi sanies illa omnis excerneretur, & partes infectae separarentur à non infectis: debuit igitur conspurcare totam Imaginem, ipsamque pannum inficere humor ille abundans, qui crus tumefecit, si humor ille fuisset secretus ex crure. Adde, quod, ut Sanata in Examine, autoritate Apostolica facta, deposuit, foniculus paulo post sanationem clausus fuerit: quae circumstantia, junctâ perfectâ valetudine subsecutâ, de qua perhibent quinque testes, magni est ponderis, quippe cum alioquin similes occlusiones foniculorum nocivae sint, & ad eas rectè faciendas plura, & non perfunctoria remedia adhiberi debeant,

ut docet Hieron. Mercurial. *Consul. & Respons. Medic. tom. I. consult. II. per tot. pag. 49.*

234.

Ad 7. Neque ista dubiam Miraculosam Sanationem efficiunt. Nam 1. Cum morbus fuerit ulcus Gangraenosum, iste ejusdem malitiae, & vigoris est, cujuscunque aetatis subjectum invadat; ut enim

Sennert. *pract. lib. 5. p. 2. c. 19.*

ait, *semper, & indistinctè Gangrana mortem accersit.* Hinc major, vel minor aetas sanatae non diversificat qualitatem Miraculosae Sanationis: nec aliquid facit, quod, ut pariter contra Miraculum istud objicitur, in ejus determinatione testes variant. 2. Similiter brevitatis temporis, quo duravit Gangrana, magnitudini Miraculi nihil detrahit; quia morbus iste tam malignae naturae est, ut citò Aegrotum ad mortem trahat, ut ex Aquapendente *Num. 228.* annotavi supra. 3. Status morbi plenè firmatus manet ex supra dictis, quod scilicet eò ille processerit, ut Chirurgus necessariam judicaverit incisionem carnis non solum excrementitiae, sed etiam vivae usque ad denudationem ossis, & in hunc finem mane sequenti ad Infirmam accesserit. 4. Quam parum spei vespere sanationem praecedente Chirurgus circa bonum effectum Medicamentorum, à se applicatorum, habuerit, indicat satis in depositione sua, ubi aperte dicit, se simpliciter statuisse incisionem faciendam altero mane, atque in hunc finem se jam praeparasse omnia media, & instrumenta ad hanc incisionem necessaria, imò jussisse, ut Infirmam pro omni casu ad incisionem istam praevia peccatorum Confessione se praepararet. Dum ergo alii testes referunt, illum, quando Infirmam incisionem faciendam denuntiavit, locutum esse mitius, & sub conditione, *nisi morbus sequenti die remitteret*, id factum existimandum est, ne, ut ex mente Galeni Medicum admonet

Gaspar à Reyes *Elys. jucund. qq. 9. 12. n. 1. pag. 82.*

ex abrupto atrox ferri, & ignis remedium necessarium esse pronuntiando, nihilum timeret Infirmam. Quidquid autem sit, cum

habeamus verba plana ipsius Chirurgi, haec praevallere debent testibus, loquentibus de auditu ab eodem; nam magis credendum est Originali, quam Copia.

*Aym. cons. 6. n. 67. Rota decis. 570. n. 2. coram Gregor. & decis. 272. n. 20. p. 17. recent.*

Ceterum si spes aliqua constitui potuisset in efficacia Medicamentorum, sanatio ex his sperari saltem non potuisset adeò subitanea, prout in hoc Casu contigit; nam ars, & natura non operantur in instanti, sed successivè, & pedetentim,

ut firmat Caprivacc. *prax. l. 1. c. 25. Ferull. de part. morb. & symptom. l. 5. c. 3. §. conclusio.* Auditores Rotae in Relatione Ven. Hieronymi Emilianii *Mirac. 1. post mortem. §. curationem.*

Proin curatio in Casu nostro non Medicamentis, sed operi, & virtuti Divinae ad intercessionem B. Turibii est adscribenda; ratio enim Instantaneitatis semper Miraculum constituit, etiamsi morbus aliunde naturaliter fuisset sanabilis per notata

apud S. Thom. 2. 2. q. 178. art. 1. ad primum. Archidiac. in can. *nec minus. 26. q. 5.* Auditores Rotae in Relatione pro Canonizatione S. Andreae Corsini apud Lezan. *consult. l. n. 199.*

235.

Ad 8. Quia Chirurgus non fuit Theologus, vel Canonista, non debet ipsi vitio verti, quod dixerit, Miraculum hoc esse primae classis: neque propterea fides depositioni illius est deneganda; vis enim non debet fieri in verbis, quae Miraculi essentiae nec dant aliquid, neque tollunt, sed consistit in ipso facto, cujus series si rectè deducta, & probata sit à testibus coram constitutis ad hoc Judicibus, horum deinde est Miraculum suis in gradibus constituere, & recognoscere. Ceterum, quod Chirurgus non crediderit, Sanationem in Casu praesentis Miraculosam fuisse quoad substantiam, prout ad Miracula primae Classis requiritur, satis patet ex depositione illius; nam, postquam dixit, Miraculum hoc esse primae Classis, se se explicat ponendo substantiam ejusdem Miraculi in subitanea sanatione ulceris Gangraenosi, ad applicationem solius Imaginis facta, cujus ulceris curatio, si naturaliter facta esset, indigebat applicatione remedium multo, & longo tempore, ut affluentia maligni humoris derivaretur. Fatetur igitur Chirurgus, hoc ulcus absolute potuisse curari per artem, sed non hoc modo, seu tam brevi tempore: quod ipsum est dicere, Miraculum hoc inter tertii generis Miracula connumerandum esse. Proin dum idem Chirurgus ait, illud esse primae Classis, intelligendus est voluisse exprimere, illud, consideratis circumstantiis, ab ipso perpenis, & relatis, fuisse in suo genere unum ex notabilioribus.

Ad 9. Repentina Sanatio satis constat, si ponderetur, quod, dum saevius Petronilla

236.

crucia-

cruciabatur, ita, ut Chirurgus vespere decerneret, extremum ferri, & ignis remedium altero mane adhibendum esse, ipsa post recursum habitum ad intercessionem B. Turibii, & invocationem hujus, ut ipsa Sanata deponit, cum lacrymis tota nocte continuatam, manè senserit se perfecte confanatam: quod sufficit, ut sanatio dici possit subita, & instantanea, ex clara doctrina

Card. de Laurea recensita in 7. *Miraculo.*

Neque enim Instantaneitas constituenda est in momento physico, & indivisibili, sed morali, quæ latitudinem patitur, ita, ut Instantanea adhuc dici Sanatio possit, si facta est tempore adeò brevi, intra quod naturaliter non potuisset contingere.

237.  
Argumenta  
pro Mira-  
culo.

In Confirmationem istius Miraculi porro afferuntur sequentia. Videtur Miraculum hoc satis, abundeque probatum esse. Nam 1. De statu morbi patet ex depositione quinque oculatorum testium, qui omnes uno ore testantur, ex fonticulo in crure infirmæ facto emeruisse ulcus cum acerbissimis doloribus, febris, copiâ humoris, & inflammatione, cui ulceri tandem Gangræna accessit, ita, ut incisio læsæ partis decreta à Chirurgo, qui est unus ex quinque dictis testibus, desperato quocunque alio remedio, fuerit. Quam facile autem ex fonticulis Gangræna oriri possit, testatur Fossombronius Medicus, in Peritum electus, in sua super hoc Miraculum facta Relatione, ubi ait, *cuius, in re Medica vel parum versato, notum esse, quod ex Fonticulis, si negligentius tractentur, & quotidie à saburra acidorum humorum, illuc affluentium, non mudentur, inflammationes, & Gangræna supervenire possint.* Rationem addit, quia cum fonticuli ab Arte inventi sint eò fine, ut humores vitiosos, præsertim acidopituitosos, vel in toto, vel in parte redundantes, evacuando derivent, iidem humores, naturâ suâ jam acidi, nisi ab externa superficie cauterii sollicitè detergantur, longiori ibidem morâ, externas carni, & vasorum fibrillas constringunt, & liberum subeunt à tergo materiei exitum prohibent: unde hæc, cum in venas transitus non pateat, neque circuli lege in canales arteriarum majores remeare possit, necesse est, ut in cauterii cavitatē congesta, ex acido in corrosivam mutetur, ex quo tandem inflammatio, & ipsa Gangræna sequitur. Imò

238.

2. In Casu præsentis caro cruris non tantum Gangrænata, sed jam sphacelata, & emortua extitit: quod 1. Indicat nigredo in ea parte inducta; nam hæc,

ut cum Trigaultio *libr. 1. Instit. Chirurg. c. de Gangræna*, docent omnes Scriptores Chirurgi,

indicium est extinctæ facultatis vitalis. 2. Frigiditas, quæ erât in crure infecto: unde arguitur caloris extinctio; nam

juxta Aristotelem *l. de Juvent. & Senect. c. 1.*

mansio animæ est in corpore calido, & fri-

gido. 3. Et præcipue insensibilitas, quam Infirma habuit in parte læsa; nam, ut Ciasconus, pariter in Peritum electus, in Relatione sua super hoc Miraculum notat, hoc specialissimum penes summos Medicos Gangrænam inter, & Sphacelum discrimen est, quod Membrum, Gangrænâ affectum, si pungatur, secetur, vel aduratur, sentiat; ubi autem Sphacelo laborat, omni sensu sit destitutum.

Ita Galen. *ad Glaucon.* Paulus Ægineta, Aquapendente, & cæteri omnes Medicinæ Primores: quos sequuntur Eustach. *Rud. l. 5. c. 13.* Joan. Mûnch. *Chirurg. ad hodiern. prax. adorn. de le Boë Sylvius prax. Medic. Append. tract. 3. §. 110.* Paræus *l. 11. c. 17. pag. 374.*

ubi, *Gangrænam in Sphacelum transivisse, partemque omnino, & penitus emortuam esse, certò scies, si ipso colore nigra visatur; & post multa, Si penitus, inquit, nec sentiat, nec motus potentiam pars habeat.* Præterea aderat partis affectæ evidens putredo, quæ natura Sphaceli est, quippe quæ tota quanta putredo est, Ciascon. *in Relat. cit.* Porro

3. Quanta sit difficultas curandi Gangrænam, testatur 239,

Hieron. Fabrit. ab Aquapend. *l. 1. c. 19.* ubi ait, *Gangrænam curabilem quidem esse, sed adeò difficilem, ut nisi quis præsentissimo remedio occurrat, brevi temporis spatio hominem jugulet: præsertim si Gangræna sit in ulcere cruris exorta, quam periculosum esse malum, cuius facile patet,*

inquit Sennert. *Medic. pract. l. 5. p. 2. c. 19. in Prognost. n. 1.*

rationem ibidem reddens; *nisi enim citissime auxilium feratur, in Sphacelum degenerat, & pars planè emoritur.* Multò major difficultas est, quando caro infecta jam actu est Sphacelata; nam, ut Sphacelus curetur, omnes tum Medici, tum Chirurgi, praxisque ipsa constantissimè docent, hoc fieri non posse, nisi aut validissimis præfidiis Artis, quod sæpissimè accidit; aut vi, industriæque singulari naturæ, quod vix aliquando contingit. Artis præfidiis quidem extremis, nempe ferro, & igne: & quidem, si membrum, Sphacelo infectum, ex omni parte sideratum est, tunc à parte sana statim detruncandum est; si verò solum in parte sui aliqua corruptum, tunc quoad hanc partem resecandum, incidendum, & ustulandum. Natura verò aliquando, sed rarissimè Sphacelum curat, quando putredinem sistit, nec ulterius serpere patitur, carnemque putridam, circulo rubro inclusam, à sana separat. Confirmat doctrinam istam de le Boë *§. 110. cit.* ubi, *Quamdiu, inquit, in Gangræna motu color cutis est duntaxat rubeus, aut subputrens, tamdiu corruptio ejusdem est incipiens, atque talis, ut ad integritatem redire possit pars affecta: quamdiu autem ad nigredinem pervenit, conclamatum est, atque tandem extremè corrupta, emortuæque caro aut spontè,*

aut arte à vicina separanda est, ut seruetur membrum affectum. Atqui

240. 4. In præsentî Sanatione officium neque Natura, neque Ars interposuit. Non Natura; quia hæc morbum tollere solum potuisset vel separando carnem infectam, vel evacuando humores vitiosos, morbi causas e. g. per fluxum Menstruum: de neutro autem aliquid Testes memorant; imò concorditer, & positivè asserunt, Infirmam eo tempore nec Menstrua, nec aliud Naturæ beneficium, quod ad Sanationem obtentam conducere potuisset, habuisse. Nec etiam Sanationem istam effecit Ars; quia, ut Num. præc. dictum est, pro curatione Morbi hætenus descripti solummodo remedia extrema ferri, & ignis supererant, quæ quidem in proximum mane Chirurgus minatus est, actu tamen non applicavit. Et esto, sufficissent Remedia mitiora: imò esto (quod tamen ex dictis verum esse non potest) neque Sphacelus, neque Gangræna; sed solum Erysipelas in Casu isto adfuerit, magna illa moles inflammatoria, quæ grandem illum tumorem effecerat in Crure Infirmæ, evanuisse naturaliter nequit sine omni evacuatione: quod fieri non potuit, nisi vel per insensibilem transpirationem, vel per sudorem manifestum, vel per retrocessionem, & reasumptionem mediantibus vasis sanguiferis. Insensibilis transpiratio intra hoc tempus, quo Sanatio in præsentî facta est, tumorem adeo excessivum auferre non poterat; quia, cum humor, tumorem illum efficiens, fuerit copiosissimus, multo tempore indigebat. Accedit, quia transpirationis istius causa assignari nequit: non enim illam promovit Ars; quia nullum resolvens præsidium fuit adhibitum, & ipsa Medicamenta, prius adhibita, ante applicationem Imaginis B. Turibii, & subsæcutam Sanationem, per lotionem cruris Infirmæ absterfit: non etiam Natura; quia per naturæ viam resolutio ista fit à calore nativo prædominante, & sensum humores attenuante, & discutiente, qui tamen calor, prout frigus excessivum indicabat, in crure præsentis Patientis erat omnino extinctus. Similiter evacuatio ista fieri non poterat per sudorem; quia, ut dictum est, Testium depositiones excludunt omnem evacuationem sensibilem. Debuisset igitur tumor iste evanuisse per retrocessionem; quod iterum dici non potest; nam ex Hippocratis Decreto, Aphor. 25. sect. 6. Erysipelas (quo nomine, ut notat Galenus in Commento, quivis tumor intelligitur) ab extra ad intra malum, etiamsi materia tumoris sit benigna. Igitur multo magis, si maligna, & Gangranosa; hujus enim retrocessio ad intra semper mortalis est, ut advertunt Joannes Liebauus, & Hieronymus Mercurialis in dictum Aphorismum, quippe ex qua retrocessione febris evasisset intensior, & secuta fuisset alicujus visceris inflammatio, & fortè suffocatio ipsi.

Ri P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

us Egotæ. Cum igitur tumor iste evanuerit sine noxa, imò cum perfecta Sanitate, eaque durabili, Miraculo istud adscribi debet, præsertim quia

5. Sanatio ista facta est subito contra naturam morbi, ut omnes quinque Testes de visu proprio deponunt: in quo maxime consideranda est aversio repentina materiæ illius, quæ horrendum hunc morbum genuerat: hæc enim, cum evacuata non fuerit, intus recedendo debuisset per viscera dilatari, & sanguinem contaminando Infirmam perimere. Item considerationem specialem meretur, quòd cum tumore, & omni reliquo malo etiam evanuerit febris illa maligna, sine ullo remedio antifebrili, & quidem citra tempus acutorum morborum, scilicet tertia, aut quarta die, quippe cum

juxta Hippocr. Aph. 23. sect. 2. morborum acutorum terminus sit dies 14. Hæc ergo Sanatio, præcipue eo modo, quo facta est, tribui alteri causæ non potest, nisi Omnipotenti dextera, operantis illam ad intercessionem B. Turibii, de cujus Invocatione, à se factâ, testatur ipsa Infirmâ cum quatuor reliquis Testibus, qui circa illam omnes de visu deponunt: ubi iterum consideratione dignus est specialis ille modus, scilicet cum promissione testificandi Miraculum in Processu, qui tunc temporis pro ejus Canonizatione construebatur, ut recenserent cum Sanata duo alii Testes de auditu proprio; nam circumstantiam hanc magni ponderis ad probationem Miraculosæ Sanationis esse censuerunt Auditores Rotæ in Relatione Canonizationis S. Thomæ de Villanova post Contilor pag. 690. Hinc

6. Chirurgus, & ceteri omnes Sanationem istam pro Miraculo, ad intercessionem ejusdem Beati patrato, habuerunt: quibus consentiunt quatuor Medici, scilicet Manfredus, Fossombronus, Ciasconus, & Lancisus, super hoc Miraculo à S. Congregatione consulti. Et verò iudicium istud Juris, & hujus S. Congregationis consuetudini congruere satis probant Exempla complura; nam similem Sanationem ulceris Miraculosam existimârunt sæpius Auditores Rotæ

in Relationibus Canonizationum S. Mariæ Magdalænæ de Pazzis Miracul. 2. & 8. in Vita. S. Ludovici Bertrandi rit. de Miracul. Mirac. 11. B. Andreæ Avellini p. 3. Mirac. 2. S. Elisabethæ Reginæ Portugalliæ Mirac. 3. in Vit. & S. Francisci Xaverii Miracul. 11. post obitum, super quo Miraculo scripsit Angelus Victor. consult. 23.

Judico igitur Sanationem istam inter Miraculosas meritò suo reponi posse, & debere. Nam 1. Morbus principalis, in quem denique tumor, & inflammatio cruris in hoc casu desit, fuit Gangræna, in quam cauteria, si negligenter curentur, juxta Num. 237. facile abire possunt. Imò 2. Ut dictum est

241.

242.

243.  
Centura de  
Miraculo  
8.

M m m m ra

est

est Num. 238. caro in parte affecta cruris jam erat Sphacelata, & emortua, quod indicabat nigredo, frigiditas, & insensibilitas in eadem parte. 3. Gangrana, & maxime Sphacelus, prout autoritate Medicorum ostensum est Num. 239. difficillimæ curationis est, & quidem Sphacelus curari non potest, nisi vel per naturam caro sphacelata à carne sana se separet, vel per artem extremis ferri, & ignis Remediis separetur. 4. Hæc separatio decreta quidem à Chirurgo, tentata tamen non est: alia autem Remedia non profecerunt: insuper tumor omnis sine omni evacuatione evanuit, qui proinde naturali modo debuisset retrocessisse ad interiora, & sic Infirmæ morbum ingravescere, aut ipsam omnino interimere, ut explicatum est Num. 240. 5. Evanuit autem subito, & absque noxa, imò cum perfecta, & durabili Sanitate, ad solam Invocationem B. Turibii, per totam noctem continuatam, prout patet ex Num. 241. & dictis omnium quinque Testium, deponentium de visu, & auditu proprio: qui proinde 6. Cum cæteris omnibus, qui rei notitiam habuerunt, ipsisque quatuor Medicis, super facto isto à S. Congregatione consultis, prout habetur ex Num. *preced.* pro Miraculosa Sanationem istam proclamârunt, & quidem juxta Exempla plurium similium Sanationum, quæ judicio Ecclesiæ inter Miraculosas connumeratæ sunt. Adeoque patet de amobus Extremis, & Invocatione Beati, ipsaque Relevantia præsentis Miraculi, ut proinde veritate ejus dubitare nequaquam possumus.

## MIRACULUM IX.

*Subita Sanationis Pueruli à fortissima Apoplexia.*

244. SUB eundem Annum 1684. Puer bimulus, Viri Nobilis Antonii de Yturisarra filius, improvisa, & adeò vehementi Apoplexiâ correptus est, ut ferè pro mortuo reputaretur. Antequam Medicus, pro cura advocatus, advenisset, Petrus de Vallexo Eques, mœrentem Patrem invisens, ipsi recenit, suum Filiolum paucos ante dies, attactu Reliquiæ B. Turibii à gravissima Infirmatate sanatum esse. Ex hac Relatione Pater fiduciam concepit in ope ejusdem Beati, decrevitque hujus Reliquiam etiam suo Filiolo applicare. Non erat fiducia hæc adeò firma, ut dubium omne tolleret, quod ei Vallexo fecit, quippe & ipse dubitans, an revera Filioli sui Sanatio miraculosa fuerit. Hinc Antonius, hoc se scituros, reposuit, si etiam suus Filiolus B. Turibii ope convalesceret. Proinde applicata puerulo fuit Reliquia, qui protinus eodem temporis momento sibi est restitutus, cum prius ferè pro mortuo haberetur.

Cum supervenisset Medicus, & rei eventum sibi relatum audivisset, obstupuit quidem plurimum, suavit tamen, ut ad expellenda è stomacho phlegmata Puellus potionem Medicam sumeret. Renuit diu Pater, nolens illam porrigi, ut eò certius de recuperata per Miraculum Sanitate constaret. Sed vicit tandem aliorum consilium. Igitur porrectum Parvulo pharmacum est; sed hoc apud istum sine ulla operatione permansit, adeò, ut Medicus, ingens mali eventus periculum ex medicamine non evacuato timens, jussit illum è lecto non amoveri: sed Pater, ut evidentiùs pateret beneficium Beati Intercessione obtentum, hoc consilio non obstante, voluit, ut Parvulus è lecto se levaret. Surrexit igitur iste è lectulo suo: quo factò, Medicinam reddidit, & absque Medicæ Artis auxilio perfectè sanus inventus est, quam Sanitatem etiam deinceps continuavit. Hæc referunt quatuor Testes de visu: Medicus verò examinari non potuit; quia paulò ante institutum Processum super isto Miraculo Limà in Hispaniam abiit.

Rationes Dubitandi circa istud Miraculum, proponuntur sequentes. 1. Affectus iste non videtur nuncupandus Apoplexiæ nomine; nam hæc est motus, & sensus abolitio,

ut notat River. *cap. de Soporos. Affectib.* pag. 173.

in Casu autem nostro Parvulus in Paroxismo se volutabat, & motus, licet inordinatos, se distorquendo edidit. Igitur potius dicendus est Epilepsia, quæ in Pueris maxime familiaris est,

ut notat Hippocrates *lib. 1. pras. 36. & Aphor. 25. ac 26. sect. 3.* River. *l. cit. pag. 187.* Willis. *lib. de Patholog. cereb. c. 4.* Hartman. *pag. 109.* Forest. *l. 10. pag. 388.* Mercat. *de Puer. morb. pag. 239.*

& indicare videtur spuma illa copiosa, & tetri coloris, quam Puerulus ex ore eiecit; nam hæc genuinum Epilepsia signum est,

ut observat Forest. *l. 10. cit. pag. 381.* Paul. Æginet. *3. de re Medic.*

2. Medicus curæ non fuit examinatus: proinde ex hujus defectu facile Apoplexia excluditur. Neque obstat, quòd aliorum depositiones habeantur; nam istæ, tanquam rei Medicæ imperitorum, non videntur attendendæ. Et verò quàm difficilis sit de statu morbi cognitio, satis colligitur ex Galeno, qui toto vitæ suæ cursu in pulsibus tangendis sollicitè se exercuit, & vix Senex cognovit ex iis statum morbi colligere. Igitur multò minùs de eo judicari poterit de depositionibus Testium, rei Medicæ non experitorum, præsertim cum hæc ipsæ incertam relinquant ideam morbi, adeò, ut super istis stabiliri ratiocinium nequeat: imò Symptomata ab his narrata augment dubium.

3. Sanatio ista naturaliter contingere potuit; 248.

tuit; nam Ægrotus fuit puer duorum annorum, quæ ætas hujusmodi morbi felicem curationem recipit

juxta Hippocratem *Aphor. 7. sect. 5.* ibi, *Quibus morbi Comitiales sunt ante pubertatem, mutationem accipiunt.* Imò Paulus Ægineta 3. *de re Medic.* ait, *Infantibus medicamine non esse succurrendum, cum ætatis quasi mutatione curentur.*

249. 4. Miraculum tollit brevitatis morbi; nam, ut Mater Sanati testatur, solum per semihoram, vel, ut Nutrix deposuit, ad summum per horæ spatium duravit Paroxysmus. Et esto, ulterius ille se protendisset, hoc nihil obesset; quia indies parvuli per reiteratas horas, veluti exsanguis, hoc Epilepsia malo laborare conspiciuntur, & tamen incolumes, etiam sine medicamentorum, & Medicorum ope evadunt, ut observat

Forest. l. 10. pag. 395. obs. 64.

ubi puerum octo annorum, per quatuor horas Epilepsia Paroxismo detentum, curatum describit, eodemque loco alium puerum, qui similem Paroxysmum per tres horas passus est. Præterea

250. 5. Irrelevantiam hujus Miraculi auget expurgatio phlegmatum, quæ, ut Pater, Mater, & Nutrix Sanati in Processu Ordinario deposuerunt, copiosissima ex ore ejecit, ut adeo curatio hujus morbi dici possit facta per Metastasin peccantis materię ex cerebro, & ventriculo, procuratam potione Medica, quam prudens Medicus, ne Morbus recidivam pateretur, porrexit, consequenter eadem curatio Miraculo adscribi nequeat. Quod confirmatur, quia etiam

251. 6. Deficere videtur Instantaneitas; nam Testis 41. de visu in Processu Episcopali dicit, se supervenisse in domum Ægrotantis, quando jam erat applicata Beati Reliquia, cum adhuc omnes starent lamentantes: additque, Infantem quadrante post ejus adventum sanatum fuisse, consequenter juxta hanc assertionem non illico post applicationem securam sanatio est. Denique

252. 7. Idem testis in hoc suo dicto à seipso discrepat; nam in Examine, instituto auctoritate Apostolica, dixit, quòd in eodem momento, quo puerulo fuit applicata Reliquia, ille sanatus perfecte fuerit. Notum autem est, quòd testi, in depositione sua varianti, fides adhibenda non sit.

253. Ad hæc Argumenta à Postulatoribus respondetur hoc modo. Ad 1. Ex Symptomatis, per testes recensitis, Postulatores inferunt, morbum istum non Epilepsiam, sed Apoplexiam fuisse, & quidem fortem, adeoque periculosam ex dicto

Hippocr. 2. *Aphor. 42.*

ubi, *Apoplexiam fortem, inquit, solvere impossibile est, debilem non facile.* Magis autem periculosam illam in Infantibus esse,

ait Sennert. lib. 4. tract. de Infant. Morb. p. 2. c. 10. prognost. pag. 773. col. 2. n. 1. R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. 1.

Et ideo Auditores Rotæ Apoplexiæ sanationem Miraculo attribuerunt

in Relatione Canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis *Mirac. 7. in Vir. S. Andrea Avellini Mirac. 16. post mortem. S. Felicis Capuecini Mirac. 3.* Et Ven Nicolai Factoris *Mirac. 11. in Vir.*

Spuma, ex ore egesta, etiam in Apoplecticis invenitur: quo calu periculi maximi signum est

ex Sententia Hippocratis l. 2. *Aph. 43.*

ibi, *Qui suffocantur, & à vita desciunt, nondum tamen mortui sunt, non referuntur ad vitam, quibus spuma circa os apparet: maxime, si spuma sit copiosa, & tetri coloris, ut in Calu præsentis, ubi majus periculum indicatur,*

teste Zaccut. *prax. Hist. l. 1. c. 7. in præfag. pag. 192. col. 2. Lit. D.*

ibi, *Cum spuma pauca, aut alba, Apoplecticos evadere posse; cum multa, flava, aut cruenta, nequaquam: magna enim spumæ copia summum fervorem, maximam respirationis difficultatem, & extremum naturæ conatum ostendit; color autem flavus, aut purpureus spumam ex ipsa pulmonis substantia progigni significant.*

Ad 2. Medicus curæ examinari non potuit; quia, ut Num. 245. dictum est, paulò ante Processum institutum super isto Miraculo, Limà in Hispaniam abiit. Et si etiam tempore Processus fuisset Limæ, cum primum supervenerit, postquam puer ope B. Turibii sanitatem obtinuit, nec primum, nec secundum Extremum contestari potuit, & sic frustra Examini fuisset subjectus. Neque necessarium est semper Medici testimonium; sed sufficit, si alii testes rem describant cum talibus circumstantiis, ut Periti, quibus Examen Miraculosæ sanitatis demandatur, etsi præsentis non fuerint, judicium ferre possint de statu morbi.

Ad 3. Id procedere potest in Epilepsia, non item in Apoplexia; nam hæc, ut Num. 253. dictum est, puerulis, & Infantibus periculosa est: & ratio est patentissima; quia in ea tenera ætate ob debilitatem virium natura cum fortibus Symptomatis, quæ corpusculum aggrediuntur, luctari non potest.

Ad 4. Apoplexia vehemens morbus est, qui citò ægrum interficit, ut inquit Sennert. *pract. lib. 1. part. 2. c. 33. princ.*

Contra verò, quando indies protrahitur, remediis curabilis redditur, ut patet ex quotidiana, & notissima experientia. Quare, cum ad contactum Reliquiæ subito, & integrè morbus recesserit, Sanatio hæc pro Miraculo haberi debet: quod magis illustrat absentia Medici; per hoc enim probatur, applicatam antea Medicinam non fuisse.

Ad 5. Parvulus, cum ei Medicus ad expurganda phlegmata potionem medicatam porrexit, jam tum perfecte sanatus erat. Igitur sumptio istius potiois præjudicium

M m m m m 2

Mira-

254.

255.

256.

257.

Miraculo afferre nequit. Adde, quòd, prout ex depositione testium constat, Medicina illa nihil profuerit, sed potius retenta, ut iudicabat Medicus, debuisset nocuisse. Igitur, tanquam res noxia sanitati, jam antea recuperata, fuit egesta per vomitum.

258. Ad 6. Spatium Quadrantis horæ necessarium fuit ad exercendam precibus fiduciam erga Beatum, cuius Reliquiæ tunc applicabantur. Neque hoc tempus Instantaneitatem tollit, quippe quæ non physicè, sed moraliter accipienda est. Hinc

259. Ad 7. Nulla est in dictis allegati testis contradictio; quia sanatio, intra breve unius quadrantis horæ spatium subsécuta, adhuc instantanea dici potest, ubi nulla Crisis, vel evacuatio intervenit. Spuma autem, de qua supra, huiusmodi Crisis, aut evacuatio sufficiens dici non potest, sed potius Symptoma morbi, ut videre est in Epilepticis. Adde, quòd ad dicta testium concilianda omnis possibilis interpretatio facienda sit.

260. Putant Postulatores, pro hoc Miraculo adesse probationem sufficientem omnium requisitorum. Nam primum Miraculi Extremi, scilicet statum morbi adeò periculosi, ut Puerulus ferè pro mortuo haberetur, referunt in Processu Apostolico Pater, Mater, & Nutrix Sanati cum 4. teste, Viro nobili, qui occasio fuit fiduciæ, in B. Turibii intercessione positæ: quod periculum aggravavit Spuma illa copiosa, & tetri coloris, quam Parvulus ejecit; hæc enim, ut Num. 253, probatum est autoritate Hippocratis, & Zaccuti, malum est signum in Apoplecticis. Neque obstat, quòd testes in Examine Apostolico huius Spumæ emissionem non referant; nam circa eam in hoc Examine non fuerunt interrogati, & plurius annorum intervallum inter utrumque Examen intercessit; consequenter istius effectus morbi præsumuntur fuisse obliti.

261. 2. Puerulus nullo alio præcedente morbo laboravit, ad hunc autem morbum pellendum remedium aliud applicatum non est, nisi potio illa medicata, cui tamen sanatio adscribi non potest, tum quia hæc sumptionem illius præcessit, tum verò maximè, quia nihil est operata, & si operari aliquid potuisset, solum à Medico, hanc præparante, & porrigente intenta fuit ad tollendas morbi, quem quoad substantiam sanatum jam reperit, restantes phlegmatum in stomacho residuorum reliquias: pro quibus omnibus deponunt iidem quatuor Testes de scientia certa ex visu proprio.

262. 3. Sanatio igitur hæc adscribi nequit, nisi Invocationi B. Turibii per preces ad eum effusas, & Reliquiarum ejus contactum, de qua cum circumstantia alterius Pueruli, simili contactu confanati, deponunt iidem testes, & ex his tres de visu, quartus de auditu videntium, qui proinde eandem sanationem pro Miraculo, ejusdem Beati patrocinio

impetrato, habuerunt: ut proinde satis constare videatur etiam de secundo Extremo, & Invocatione, quæ hujus pars est.

Judico, hanc Sanationem non satis tuto inter Miracula approbari posse; quia non satis constat de Statu morbi, an scilicet Apoplexia, an verò tantum Epilepsia fuerit. Posito autem, quòd Epilepsia fuerit, Miraculosa Sanatio ista cum fundamento dici non posset; quia Morbus iste, ut Num. 246, ex cit. ibi DD. dictum est, in pueris maximè familiaris est, & in his juxta Paulum Æginetam, Num. 248, allegatum, sine Medicamentis curatur. Imò suspicio est, solum fuisse Convulsionem aliquam fortem, quod genus morbi iterum Infantibus consuetum est, & apud hos citò, etiam absque Medicamentis, sæpenumero sine periculo vitæ transit.

## MIRACULUM X.

*Subita liberationis ab imminente strangulatione ex Osse deglutito.*

264. Anno 1686. Josephus de Lara Sacerdos, qui in Processu Apostolico, Limæ instituto, Sub-Promotoris Fidei partes explevit, inter prandendum casu deglutivit officulum, latitudine, & longitudine non exiguum, pluribusque locis acuminatum, quod faucibus transversè inhaerens jam miserum strangulabat, ita, ut intumesceret, mutatoque in nigrum colore in facie, proximè suffocandus crederetur. Videns famulus, Herum suum ita luctari, cum omni celeritate cucurrit ad Neptem Josephi, in alio conclavi degentem, eam accersiturus. Interea omni, quo poterat, modo Infirmus invocabat B. Turibium, cui devotissimus erat. Et ecce! cum ejusdem nomen terrib, aut quartò repetuisset, vomitus insecutus est, quo officulum ejecit. Supervenit illico Neptis cum famulo, quibus ille eventum narravit.

265. Idem Josephus jam antea, cum esset in Civitate Quito, simile beneficium per ejusdem Beati intercessionem obtinuit; nam assidens convivio, conditum Pomum Persicum, credens, os ejus fuisse exemptum, deglutivit, & cum simili modo periclitaretur de suffocatione, invocata Beati ope, illud cum osse evomuit, læsis tamen faucibus, ita, ut aliquot diebus sequentibus exspuerit sanguinem, cum tamen in secunda liberatione guttur manserit prorsus illæsum, quod, considerata magnitudine, & longitudine officuli, necessariò fieri aliter debuisset; nam diameter illius, ut figura ejusdem refert, æquabat diametrum latitudinis faucium, etiamsi rectè per longitudinem suæ molis descendisset in fauces; consequenter, ocluso gutture, debuisset tollere respirationem. Multò igitur magis hanc tollere, atque

Argumenta pro Miraculo.

atque ita suffocationem causare debuit trans-  
versim in eas descendens, earumque carni  
suis acutis extremitatibus inhærens. Cum  
igitur, nullâ factâ diligentia, nullôque in-  
terveniente auxilio, quod naturaliter excrea-  
tionem ejusdem procurare potuisset, & qui-  
dem sine ulla læsione, & excoriatione gut-  
turis, quæ maxima sequi debuisset, per vom-  
itum egestum fuerit, omnes circumstan-  
tes liberationem pro miraculosa constanter  
agnoverunt: de quibus omnibus adsunt depo-  
sitiones trium testium de visu, & auditu  
Liberati respectivè.

266. Existimant Postulatores, Miraculum hoc  
Argumenta pro Miraculo. satis probari per testes, in hunc finem exa-  
minatos, quorum unus fuit ipse Sanatus, al-  
ter famulus, tertius Neptis ejusdem Sanati.  
Et quidem primum Extremum, nempe de-  
glutitionem officuli: cum Sanato refert famu-  
lus de visu proprio, ut adeò hi duo ad proba-  
tionem hujus Extremi videantur sufficere,  
cum in ore duorum, vel trium testium stet  
omne verbum, præsertim cum in hoc Casu  
accedat insuper Neptis Sanati, qui de au-  
ditu ipsius Sanati, & famuli videntis depo-  
nit.

267. 2. Invocationi quidem, à Sanato factæ,  
non interfuit alius testis, ad probationem  
tamen illius videtur sufficere dictum ipsius  
Invocantis, ut non semel firmarunt Audito-  
res Rotæ, præcipuè in Relationibus Canoniz-  
ationum S. Andreæ Corsini, S. Francisci de  
Paula, B. Andreæ Avellini, B. Jacobi de  
Marchia &c. Consentit.

Card. Laur. in 3. Sent. tom. 4. D. 20. de  
Mirac. art. 25. §. 3. num. 1107. fin. pag.  
637. adliquet. n. 1109.

ita esse præxim Ecclesia, qua in probatione In-  
vocationis admittere solet vel ipsum Sanatum,  
vel aliquem ex Parentibus, Cognatis, aut Ami-  
cis, quo faciente Votum pro sanando, Mira-  
culum contigit. Quod eò magis locum ha-  
bet in Casu præsentis, ubi adsunt alii duo-  
testes, deponentes de auditu ex ipso Sanato.

268. 3. Evomitionem Officuli, statim post  
Invocationem B. Turibii factam, cum Sana-  
to testantur reliqui duo testes, qui meritò ha-  
beri possunt pro testibus de visu, respectu  
hujus Extremi, dum suis oculis conspexer-  
unt Officulum, à Sanato per vomitum ege-  
stum. Et esto, solus Sanatus haberi debeat  
pro teste de visu, cum duo reliqui testes ipsi  
evomitioni non interfuerint, hoc tamen  
non videtur Miraculum tollere; nam quoties  
factum aliter probari nequit, uni etiam  
testi fide digno deferendum est circa Mira-  
cula,

ut plene tradit Contilor. c. 18. n. 18. ad  
27. & præter Relationes Rotæ, ab eo-  
dem Contiloro recensitas, id ipsum firmatur  
in Relatione Canonizationis S.  
Francisci Xaverii §. 9. post obitum ꝑ.  
factum. Castelin. de Dilat. Canoniz.  
pag. 98. Et de Certit. Glor. Sanct. pag. 2.  
col. 2. post med. & pag. 403. col. 1. sub

initium. Barbof. de Offic. & potest. Episc.  
alleg. 93. n. 6. Pasqualig. ad Lauret.  
de Franch. contr. int. Episc. & Regul. tit.  
de cult. erg. non Canoniz. q. 4. n. 1184.  
& duob. seqq.

Est autem Sanatus utique fide dignus, quia  
Sacerdos, qui

ut firmat Rota decis. 378. n. 13. p. 16.  
decis. 27. n. 13. p. 17. & decis. 69. n. 27.  
pag. 17. recent.

duobus testibus æquivalet: insuper fuit Ju-  
ris utriusque Doctor, & Promotor Fiscalis  
Illustrissimi Archi-Episcopi Limani, & uti-  
talis incubuit instructioni Processus, Sub-  
Promotoris Fidei functus munere: ob quas  
qualitates incongruum minimè videtur ei-  
dem integram præbere fidem, præsertim cum  
duo alii testes viderint illico officulum de-  
glutitum, & postea egestum à Sanato.

4. Relevantia Miraculi istius habetur ex  
Circumstantiis, quæ concurrunt in hoc Casu,  
& liberationem à strangulatione clarè viden-  
tur probare. Nam 1. Officulum faucibus  
inhærens tale induxit respirationis impedi-  
mentum, ut Patiens intumesceret, & color  
faciei in nigrum converteretur: quod indi-  
cat, adfuisse periculum proximum suffoca-  
tionis, & mortis imminens, nigredo enim  
in partibus externis inducitur ob sanguinem  
stagnantem in vasis, ut videmus hiberno  
tempore contingere in manibus, frigore ri-  
gentibus, quippe quod poros in cute clau-  
dens, transpirationem, & aëris temperati in-  
troductionem impedit, quo fit, ut sanguis  
torpidior, in vasis stagnet, sicque livor, ac  
tandem nigredo inducatur in partibus. 2. Ex  
historiis habetur, longè minori re subito de-  
glutitâ, causatam fuisse suffocationem, &  
mortem: sic Anacreon uvæ acino deglutito,  
& Fabius Senator pilo in lacte hausso est  
suffocatus,

ut refert Gaspar à Rayes Elyf. jucund.  
q. 50. n. 2. pag. 367.

Officulum deglutitum in Casu præsentis erat  
tantæ Magnitudinis, ut juxta dicta Num. 265.  
etiam per longitudinem descendens debuisset  
spiritum intercludere. Igitur multò magis,  
ubi in transversum actum est, & guttur suâ  
mole distendit. 3. Nulla facta fuit diligen-  
tia, nec ullum intercessit auxilium, quod  
egectionem hujus officuli naturaliter coadju-  
vare potuisset. Et esto, non fuisset natu-  
raliter impossibilis ejusdem ex gutture revo-  
catio, hæc tamen fieri non potuit sine istius  
maxima læsione, & excoriatione ob acumi-  
na, quæ habebat officulum, maximè quia  
per violentam vomitionem egestum est.

5. Miraculum non tollit brevitatis tempo-  
ris, quo officulum istud hæsit in gutture; 270.  
nam suffocatio temporis momento succedit,  
quando sunt prorsus occlusa respirationis or-  
gana, ut observatur in strangulatis, & la-  
queo suspensis, qui paucis horæ minutis  
moriuntur. Omnimoda autem interclusio  
viarum respirationis dignoscitur ex livore,  
M m m m m 3 imò

imò nigredine corporis, post deglutionem secutà, & satis probatur ex figura officuli, quod erat longitudine, & latitudine non exiguum, ac dentelatum, sicque gutturi tenacius inhaerere, atque adeò sine ejusdem læsione nec degluti, nec egeri potuit, maxime per vomitum, qui agitare debebat tenerrimas gutturis partes, easque acuminibus suis plurimum lædere.

271. Et sic solutas esse Postulatores credunt Objectiones, quas contra hoc Miraculum Reverendissimus Fidei Promotor proposuit, quippe quæ maxime quatuor capita comprehendunt. 1. Quòd Invocationi, à Sanato factæ, nullus alius interfuerit testis, adeoque soli Sanato, de hac deponenti integra fides haberi nequeat. 2. Quòd circa egestionem officuli reliqui duo testes deponant solum de auditu ab ipso Sanato, adeoque totum testimonium quoad secundum Extremum tandem fundetur in depositione, & testimonio solius Sanati. 3. Quòd Officulum fuerit egestum per vomitum, quo naturaliter expelli potest res solida deglutita, quæ aliàs suffocationem causare posset, ut tradunt Savonarola, & Sennertus, allegati in disquisitione secundi Miraculi. 4. Quia hic agitur de brevissimo temporis spatio, quo Sanatus officulum retinuit in guttore.

272. *Censura de Miraculo 10.* Judico, Miraculum hoc saltem esse dubium, atque ideo ad decernendam Canonizationem servire non posse. Ratio est, quia pro verificatione secundi Extremi solum affertur Testis unicus de visu, nempe ipse Sanatus, reliqui autem duo testes sunt tantum de auditu, & quidem ex ipso Sanato: consequenter ex horum depositionibus probatio semiplena, habita per Sanatum, plena fieri non potest; quia in re tanti ponderis, uti est negotium Canonizationis, procedendum est per media certiora, & tutiora ad inquirendam veritatem, ut omnimoda securitas habeatur. Talem autem securitatem non faciunt testes de auditu ab ipso Sanato, quippe quorum testimonium tandem fundatur in unius duntaxat testis depositione.

Matthæucc. de *Caus. Beatif. & Canoniz.* tit. 4. c. 2. n. 15.

Confirmatur, quia Causæ Canonizationum ob arduitatem negotii cum Causis criminalibus quoad probationem pari passu ambulant. In causis Criminalibus autem, etsi mille testes, qui notitiam delicti ab uno teste de visu hauserunt, contra reum deponant, ad condemnationem istius procedi non potest. Ergo nec in Causis Canonizationum ad hanc alicui Servo DEI, vel Beatificato ab Ecclesia decernendam,



## MIRACULUM XI.

### *Subita Liberationis à periculo- sissimo Puerperio.*

273. JOanna de Pennafiel Anno 1689. per tri-  
dium integrum cum partus doloribus ita  
atrociter colluctabatur, ut in momenta cre-  
deretur moritura. In hoc tanto periculo  
applicata est ipsi Imago Ven. Servi DEI  
Martini de Torres, Miraculorum famâ per-  
celebris. Sed quia honorem hunc libera-  
tionis faciendæ DEUS B. Turibio reserva-  
vit, ex applicatione istius Imaginis levamen  
nullum Puerpera sensit. Hinc captâ erga  
Beatum istum fiducia, hujus auxilium ter-  
ventibus precibus imploravit. Et ecce!  
vix hujus Imago eidem est applicata; cum  
illico, nullo alio remedio humano applica-  
to, feliciter, & absque dolore filiolam  
enixa est, & paulò post etiam alteram cum  
secundinis in lucem dedit, cunctis, &  
præcipuè obstetrice admirantibus. In be-  
neficii hujus testificationem priori puellula  
Turibiæ nomen in Baptismo impositum fuit.  
Gemina hæ filiolæ erant valentes, & in hac  
valetudine adoleverunt.

Argumenta contra istud Miraculum sunt, 274.  
1. Partus iste excessit quidem partus natu-  
ralis limites, quippe qui ordinariè sunt 24.  
horæ, ut notant communiter AA. *Argumen-  
ta contra  
Miraculum*

& præcipuè River. pag. 403. Doleus  
pag. 673.

& propterea cum per tres dies labor pæ-  
ndi cum summis doloribus perduraverit, pro  
difficili quidem reputari debet; non tamen  
habendus est pro insuperabili,  
ut River. l. cit. Sennert. lib. de Morb.  
Mulier. c. de part. diffic. Merca. l. c.  
de Puerper. & Nutric. affect. pag. 244.  
monent;

& addunt, affectus hujusmodi facillimè cu-  
ratos fuisse: de quo simillimam Casu no-  
stro Historiam refert

Forest. rom. 2. l. 28. de Mulier. Morb.  
pag. 757.

Non igitur pro Miraculoso est agnoscen-  
dus, præsertim cum dolores fuerint breves,  
utpote per tres, imò juxta attestacionem  
obstetricis per duos solummodo dies per-  
pessi, ipseque hic geminus partus recto,  
solito, ac naturali modo in lucem editus.

2. Præcesserunt solutionem à partu varia  
unctioniones, de quibus referunt testes, pro  
hoc Miraculo allegati. Uñctiones autem  
ad hunc effectum facilitandi difficilem par-  
tum miris laudibus efferunt DD. 275.

præsertim Sennertus, Hartmannus, Mer-  
catus, Doleus pag. 676. Burnett.  
pag. 499.

quæ licet non statim secundarint Vota, dici  
tamen non potest, quòd ope nullâ Patien-  
tem affecerint; quia sublunares causæ mediis  
dispositionibus operantur.

276. Prodesse etiam poterat quies in lecto, & sublecutus postea motus; & erectio corporis in lecto; nam cum duas proles in utero Puerpera gereret, difficilem illarum partum caulavit, quod qualibet contenderit alteram in egressu prævertere, adeo ut nulla egredi potuerit propter hanc mutuam inter se pugnam. Pugna autem ista quiete Matris in lecto sedata est; & sic cum alteri locum cesserit, primus in lecto motus viam fecit, ut primus ederetur partus, quod egresso, non fuit amplius adeo difficilis partus secundus, quem etiam facilitare potuit emunctio narium, quam Puerpera obstetrix suavit; nam hæc, prout etiam sterutatio, multum promovet partum, sicut in Hippocr. lib. 2. Epid. & sect. 5. Aphor. 37. & 49. notant Sennert. pag. 735. Bonet. Medic. Septentr. Collat. lib. 2. lib. 4. de Mulier. Affect. & in Mercur. cur. Compilato. l. 14. pag. 586. num. 1. Hartman. tom. 2. pag. 781. Burnett. pag. 499.

277. Videtur desse Instantaneitas; nam puerpera non statim post applicatam Beati Imaginem peperit, sed quadrans hora intercessit, ut Testis 34. & 35. deponunt; proinde credi potest prolis unius partum per motum localem, alterius per narium emunctionem, consequenter nullo supernaturali medio promotum fuisse. Imò  
5. Congregatio etiam alias considerationem non habuit partuum, etiam cum longè majori periculo editorum, ut evenit in Romana B. Felicis de Cantalicio Mirac. 7. Limana B. Francisci Solani Mirac. 2. ut adeo super præsentis Specie Facti fundamentum pro Miraculo poni non possit.

278. Credunt Postulatores, se his Argumentis non admodum urgeri. Ad 1. Ajunt, perpenis rectè Testium, & Obstetricis præcipue dictis, liquere, quod Puerpera in imminente vitæ periculo constituta fuerit. Patrocinator  
Sennert. tom. 4. præf. l. 4. pag. 728. col. 2.  
ubi, Omnis, inquit, partus difficilis periculosus, & cum Mater, tum fetus in eo periclitantur, solentque gravia mala vasorum uteri, & aliarum partium in abdomine, ut & pulmonum ruptiones perimere. Addit ibidem Guil. Fabricio, Feminam ex partu difficili intra 24. horas mortuam fuisse. Riverius quidem tom. 4. observ. & curat. singul. obs. 93. pag. 487.  
recenset, Mulierem, quæ per triduum cum partu luctabatur, & ideo viribus admodum dejecta extiterat, tandem liberatam fuisse, sed non nisi post adhibita plura Remedia. Præcipue autem periculosus est partus Geminorum; nam in Geminorum puerperio hos cum Matre facile interire, probat Paul. Zacch. qq. Med. Leg. tom. 1. tit. 2. q. 7. n. 14. & latius tit. 3. q. 4. n. 11.  
Proinde, cum hæc Puerpera, nullo profus

Remedio eâ nocte, quæ liberatio contigit, ap-  
plicato, præter papyraceam Beati Imagi-  
nem, illico feliciter, & absque dolore dupli-  
cem foetum ediderit cum perfecta sua; &  
utriusque foetus valetudine, non est ambi-  
gendum, quod idem Beatus Medici par-  
tes expleverit.

Ad 2. Unctiones antea adhibitæ nihil profuerunt, & postrema nocte nullum re-  
medium fuit applicatum, ut refert obstetrix  
cum alio Teste de visu. Et esto, aliquid  
operari potuissent, non poterant tamen ope-  
rari ultra activitatem suam, quæ tantum se  
porrigit ad facilitandum partum, non verò  
ad tollendum omnem dolorem, prout in Ca-  
su præsentis factum est.

Ad 3. Similiter prodesse ad facilitandum  
partum non poterat erectio corporis in lecto;  
nam hæc posterior fuit motu foetus prope-  
rantis ad exitum. Et esto, potuisset aliquo  
modo conferre ad foetus egressum, illud ite-  
rum absque dolore fieri non valuit.

Ad 4. Intervallum unius quadrantis horæ  
inter Invocationem, & Sanationem hujus  
Instantaneitatem non tollit, ut sæpius hæc-  
tenus dictum, & ex sensu Doctorum proba-  
tum est. Emunctio narium prodesse for-  
tasse potest in partu non adeo difficili, non  
verò ibi, ubi Remedia fortiora adhibita ni-  
hil profecerunt, & vires puerperæ admo-  
dum dejectæ sunt.

Ad 5. Si aliàs S. Congregatio pro Mira-  
culis non approbavit liberationes à partu  
difficili, hoc fortè ideo factum est, quod in  
illis Casibus non concurrerint circumstantiæ  
adeo graves, quales in præsentis Specie Facti  
enarrantur; nam si hæc ritè considerentur, nec  
respectu probationis, nec respectu Relevan-  
tiæ aptari huic nostro Casui possunt Exem-  
pla, in hac tertia Objectione recensita. Simi-  
lem certè liberationem à periculoso  
puerperio Miraculo tribuerunt Auditores  
Rotæ

in Relatione Canonizationis S. Caroli  
Borromæi Mirac. 14. & B. Jacobi de  
Marchia Miracul. 7. Aliud Exemplum  
refertur in Bulla Canonizationis S. Ray-  
mundi à Clem. VIII. const. 77. §. 46. tom.  
3. Bullar. pag. 117.

Quare, non obstantibus prædictis Rationi-  
bus dubitandi, pro Miraculo liberationem  
ab hoc Partu duplici habuerunt Testes pro-  
ducti omnes; quorum iudicium approbat  
Manfredus Medicus in Relatione sua super  
præsentis Miraculum, persuasus, ut ait, gravis-  
simis circumstantiis, istud qualificantibus,  
quæ in Casu præsentis occurrerunt. Nam  
1. Ut in Processu Apostolico referunt Te-  
stes quatuor de visu, & respectivè de facto  
proprio, Puerpera hæc triduo integro par-  
tus doloribus cruciata, viribus adeo destitu-  
ta fuit, ut nequiverit amplius remanere in  
sella pro partu præparatâ, sed coacta fuerit  
in lecto decumbere. 2. In momenta ex-  
spectabatur ejusdem mors; undè Penitentia  
Sacra-

279.

280.

281.

Argumenta  
pro Mi-  
raculo.

Sacramento conscientiam expiavit. 3. Præsidia, pro partu promovendo adhibita, nihil profuerunt, ut refert Obstetrix cum alio Teste de visu. 4. Nihil etiam levaminis laboranti attulit contactus Imaginis alterius Servi DEI, antea ipsi applicata, prout testantur duo Testes, scilicet ipsa Puerpera, & Sacerdos, qui Imaginem hanc illi attulit. 5. Ubi verò invocatum est auxilium B. Turibii, & applicata hujus Imago, ex omnium quinque Testium depositione illico enixa est duplicem Prolem, & quidem cum maxima facilitate, absque dolore, & adeò celeriter, ut ad primam Prolem Obstetrix non potuerit maturè satis accurrere. 6. Post partum tam Mater, quam ambæ Proles vixerunt incolumes. 7. Solet præ cæteris difficilior esse partus Fœminæ, præsertim Geminus, ut notat Franciscus Vallesius l. 2. *Epid. sect. 2. text. 21.*

282. In hoc Miraculo videntur adesse omnia, quæ ad Probationem Miraculosi partus aliàs requiruntur.

per Matthæucc. de *Caus. Beatif. & Canoniz. tit. 3. c. 3. n. 67. & tribus seqq.*

Hæc autem in tribus consistunt, 1. Ut ex legitimis depositionibus constet, quòd frustra fuerint adhibita Remedia, & mulier doloribus partus diu vexata, corpore tumido, cum virium prostratione eò perducta sit, ut animam agat, & in horas mors expectetur.

283. 2. Ut eorundem Testium conformi assertionem constet, quòd Mulierem deploratam ad Invocationem Servi DEI, Beati, vel Sancti illico desperatum partum, & præter spem juxta Peritorum sensum in lucem ediderit, ipsa salvâ, & à morte præservatâ.

284. 3. Ulterius constare debet, in ea nulla remansisse irregularis partus vestigia, vel reliquias; nam

teste Avicenna *tract. 2. c. 1. allegato à Paulo Zacchia tom. 3. qq. Medic. Legal. conf. 9. n. 19.*

similes Partus in via naturæ solent compellere Mulieres in hernias, in venarum rupturas, in arteriarum dilatationes, in uteri inflammationem, & lacerationem, & alios etiam peiores morbos. Unde si nihil horum remaneat, & Puerpera sit sana effecta, acsi naturaliter, & absque ulla vi peperisset,

juxta eundem Matthæucc. l. cit. n. 70. augetur evidentia Miraculi.

285. De his autem tribus, prout ostensum est Num. 281. sufficienter constat ex depositione Testium, & præsertim Obstetricis, horumque judicium confirmat Manfredus, in Peritum electus, ut adeò nihil adsit, ex quo Miraculum hoc reprobetur.



## MIRACULUM XII.

Subita Sanationis diuturnæ  
Ischiadis, seu Rheumatismi.

286. Cleria Fatia, Virgo Romana, ætatis 50. annorum, egregiis moribus prædita, & toto vitæ tempore hysterica, à quinque annis pluribus, variisque morbis afficiebatur ob corpus cacochymum, h. e. malis humoribus ex dicta affectione hysterica plenum; qui morbi duobus postremis annis Ischiadem, ut censuit Medicus, vel Rheumatismum, ut Chirurgus visum est, generarunt. Unde non exiguo cruciabatur dolore, qui à sinistro latere per coxendicem ad calcaneum usque descendebat. Ultimis Mensibus dolor iste evasit acerrimus, & coxendici supervenit tumor. Consuluit illa propterea Medicum, qui pronuntiavit, nullum læsæ parti profuturum Remedium, nisi unctionem; Chirurgus verò, pariter consultus, suavit, ut corpus purgaret, & deinde mitiora, atque opportuna Remedia adhiberet. Hoc secundum Consilium adhibuit Agra, quia lenius. Itaque Mense Mayo 1692. tres potiones, à Chirurgo sibi præscriptas, spatio octo, aut decem dierum hausit. Sed post harum sumpcionem nihil posuit dolor, imò acerbis faviit, ita, ut nullam quietis partem capere posset; continuavit similiter tumor, successitque maximum cibi fastidium; præterea adeò extenuabatur corpore, ut vix ab aliis agnosceretur.

287. In Vigilia Pentecostes, quæ eo anno incidere in 24. Maji, Emplastrum à Chirurgo confectum, applicuit: post quod tribus sequentibus diebus aliquantulum dolor mitescere visus est; sed coxæ tumor, qui parum antea eminebat, eo triduo mirum in modum auctus est ad similitudinem majoris panis in ea ipsa parte, in qua Cataplasma appositum fuit. Quartâ verò die rediit dolor, ita, ut ob doloris atrocitatem absque intermissione, infantium more, lamentaretur. Die quintâ, cum favius adhuc illam cruciaret dolor, ad hunc leniendum constituit adhibere Remedium ignis, à Medico sibi suavit. Continuavit dolor in diem sextam, quâ die manè accessit ad illam Josephus Albertinus, Filius Natalis, qui ab Eminentissimo Relatore deputatus fuit, ut Processum Beati Turibii ex Hispanico in Italicum Idioma transponeret. Occasio illam accedendi fuit, ut dicti Processus autographum Cleriæ dissuendum committeret, quò facilius in partes solutus conferri posset. Hic ergo, cum videret Cleriam acerbissimis doloribus discruciatam, eidem suavit, ut invocaret opem Beati gloriæ Miraculorum illustris. Paruit illa, & dum Processum sibi allatum distuebatur, interiori afflata Spiritu, acsi vocem audisset, sibi dicentis,

Amore

*Amove Emplastrum*, dicto obsequens, & plena fiducia, in corde dixit, *En, Beate, tua voci pareo, humanum remedium tollo, tu mihi presta Divinum.*

288. Eodem momento, quo Emplastrum sustulit, evanuit omnis dolor, ac tumor, ipsaque Cleria è scamno, in quo sedebat, surrexit, & domum absque ulla debilitate perambulavit, perinde, acsi nunquam passa fuisset morbum. Integrâ tamen die non est ausa Miraculum propalare Virgo humilis, existimans, se miseratione Divinâ indignam, & timens, ne miraculosa Sanatio perduraret. Die sequenti sibi animum addi sensit, ut Sorori aperiret factum, quæ ipsa, cum jam non amplius lamentantem illam audiverit, suspicionem de miraculosa Sanatione conceperat. Detexit ergo isti totam rei feriem, sed sub secreto, ut nemini id revelaret. Sequenti Dominicâ perrexit ad S. Laurentium in Lucina, ubi post Confessionem peractam rem narravit Confessario, à quo iusta est Miraculum propalare. Quare post Sacram Communionem receptam, & tres Missas, in gratiarum actionem pro recepto Beneficio de genibus auditas, illico adit domum Domini Natalis Albertini, illique, præfente hujus uxore, & Filio, recensuit totum rei eventum, deditque dicto Filio unum Julium, ut ad Altare Beati in Ecclesia S. Anastasiæ Missam legi curaret. Sanatio fuit omnino integra; nam paucos post dies, receptis ex toto viribus, depulsâque macie, sibi plenè restituta, alacri gressu Ædem S. Sabinae accessit, & expedite per altum montis clivum, cui Ecclesia ista imposita est, conscendendo Miraculi magnitudinem comprobavit. Miraculo sanationem istam adscripserunt Medicus, Chirurgus, & ceteri omnes. De Invocatione nemo præter Sanatam, Testis est; quia nemo alius fuit tum præfens: de cæteris deponunt octo Testes partim de visu, partim de auditu videntium, inter quos sunt ipse Medicus, & Chirurgus, pro cura adhibiti.

289. Huic Miraculo opponi potest. 1. Probatio primi Extremi solum innititur dicto duarum Fœminarum, nempe Sanatæ, & Sororis ejusdem; nam Medicus nunquam vidit partem affectam, sed statum Morbi solum audivit sibi relatum ab ipsâ Cleria; Chirurgus quidem eam tetigit, sed super vestibus duntaxat, ipsâ semper modestiæ causâ renuente, tactum illius admittere; post Sanationem verò eatenus solum passa est à Chirurgo partem affectam inspicere, ut iste posset de eadem Sanatione, tanquam miraculosa, deponere, ne debito honore, & laude fraudaretur Beatus: ut adeò de statu morbi non satis constet, quippe ad quem cognoscendum Inspectio ocularis partis affectæ imprimè necessaria fuisset propter Symptomata.

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

tum multitudinem, quæ in talibus partibus concurrere possunt, & discerni non nisi tactu, & visu valent. Hinc

290. 2. Diversum fuit de hoc morbi statu Medici, & Chirurgi judicium, dum iste judicavit esse Rheumatismum, quem Medicus appellavit Ischiadem: insuper iste putavit, necessarium esse Remedium ignis, quod Remedium non approbavit Chirurgus, sed præscripsit Purgationem corporis per Potiones Medicatas, & postea Cataplasma. Imò, de hoc ipso judicio Medici, & Chirurgi Sanata, & ejus Soror inter sese discordant; sanata enim, ut dictum est, refert, nempe Chirurgum reprobasse Remedium ignis, quod Medicus necessarium duxerat: Soror autem Sanatæ narrat, Chirurgum cum Medico consensisse in Remedium ignis, sed prius voluisse experiri Remedia mitiora. Insuper ambæ discordant ab aliis Testibus, dum ajunt, tam Medicum, quam Chirurgum tulisse Sententiam pro Ischiade, cum tamen alii asserant, Medicum quidem putasse Morbum Infirmæ fuisse Ischiadem, Chirurgum tamen stetit pro Rheumatismo.

291. 3. Probatio secundi Extremi nititur substantialiter solâ assertione Cleriæ; nam Soror ejus, dum illa Sanitatem accepit, præfens non aderat. Neque obstat, quòd deponat, ipsam Cleriam, cum Testis reversa domum est, nullum amplius dedisse doloris signum, & totâ nocte placidè dormivisse, id quod noctibus præcedentibus non potuit; nam ex hoc plus non probatur, quam quòd ejusdem assertio magnum præbeat adminiculum respectu hujus secundi Extremi, præsertim quia oculariter non vidit partem sanatam, nisi vesperi die sequenti. Eandem, imò minorem vim habent Testes reliqui; nam Testis 4. 5. 6. & 8. primum biduo post Sanationem, Medicus verò, & Chirurgus post aliquot dies Infirmam ex morbo suo restitutam viderunt: ut adeò, præter ipsam Sanatam, nullus alius adsit Testis, qui sit oculus respectu ipsius Sanationis, & temporis, quo illa contigit.

292. 4. Cataplasma, à Chirurgo præparatum, & per Infirmam applicatum, poterat forsan esse tantæ virtutis, ut naturaliter valuerit Sanationem producere, saltem post longius aliquod tempus; nam hanc virtutem agnovit in eo Chirurgus, nec diffitetur Medicus. Potest autem pro tempore, ad exerendas Cataplasmatibus istius vires, & morbum sanandum sufficienti, meritò haberi tempus septem dierum, qui ab applicato hoc Cataplasmate usque ad diem Sanationis lapsi sunt, præsertim, quia

293. 5. In corpore Patientis ex potione medicata, bis, vel ter ante applicationem Cataplasmatibus sumptâ, jam erant diminuti humores

mores noxii, qui morbo huic præcipuam dederunt causam, ut adeò ipsum Cataplasma, debilitato jam hoste, habuisse vires proportionatas dici possit ad morbum penitus superandum, & residuos humores temperandos. Imò

294. 6. Quòd idem Cataplasma virtutem suam sic exeruerit, arguitur 1. Quia post ejus applicationem Infirma statim sensit levamen. 2. Nulla supervenit febris, nec ipsa impedita fuit stare extra lectum, sedere, exercitio suendi operam dare &c. cui locus non fuisset, si acerbissimi dolores illi continuassent. Et verò 3. Sublatos illos jam tum fuisse, quando Processum de B. Turibio sibi allatum disuit, signum est, quia Natalis, & ejus Filius, qui, dum hoc illa faciebat, eidem adstiterunt, nunquam audierunt eam de dolore conqueri.

295. 7. Denique inter Clericæ, & Sororis ejus depositiones circa accessum ad Ecclesiam S. Sabinæ invenitur contradictio; nam Clerica ait, se Ecclesiam istam accessisse die Dominica post Festum SS. Trinitatis; Soror illius autem dicit, hoc factum esse ipso Festo.

296. Non deest Postulatoribus Responsio ad hæc Argumenta: Ad 1. Etiam Fœminæ ad Miracula probanda admittuntur, ut notant Auditores Rotæ

in Relatione Canonizationis Ven. Servi DEI Gregorii Papæ X. *miracul. 10.* B. Jacobi de Marchia *Mirac. 1. & ult.* Ven. Ancille DEI Joannæ à Cruce *p. 3. §. quibus.* S. Theresiæ *tit. de Mirac. art. 2.* & S. Andreæ Corsini apud Lezan. *consult. 1. n. 269.* & docent Matta *de Canoniz. Sanct. p. 4. c. 17. n. 12.* Card. Laur. D. 20. n. 1076. *pag. 630.* Pignat. *tom. 1. consult. 252.*

Hinc in Canonizatione S. Laurentii Justiniani approbatum est septimum Miraculum Sanationis nodosæ Arthritidis, quod testificatione trium Fœminarum duntaxat adstruebatur. Imò ipse Christus Dominus Resurrectionis suæ Testes ad Discipulos suos de hac edocendos alios habere noluit, præter Mulieres *Matth. 18. v. 4. ibi, Cito euntes, dicite Discipulis ejus, quia surrexit &c.* Igitur neque in hoc nostro Casu obesse probationi debet, quòd ista habeatur substantialiter per testificationem solius Sanatæ, & Sororis ejusdem, maxime cum utraque fuerit probatissimæ vitæ. Certè supponi nequit, quòd Sanata in ipsa Confessione, ubi Sanationem suam Miraculosam Confessario retulit, voluerit veritatem alterare: ut adeò huic ipsi Confessario plena fides habenda sit.

Calderin. *conf. 2. de Testib. Navarr. conf. 26. de Sent. Excomm. Rota decis. 620. n. 2. p. 3. divers.*

Atque ita semper servatum fuisse in his Casibus, firmant

Auditores Rotæ in Relationibus Canonizationum S. Franciscæ Romanæ *art. 12. §. ex dictis.* S. Theresiæ *art. 21. §. habemus etiam,* B. Pii V. *p. 3. tit. de Carit. §. primò.* B. Aloysii Gonzagæ *tit. de Carit. in DEum, §. quòd autem.* Ven. Servi DEI Nicolai Factoris *eod. tit. §. & statim.* Ven. Servi DEI Juliani à S. Augustino *c. 11. §. de Carit. in fin. & expressè asserit ab Innocentio IV. Const. 2. pro Canonizatione S. Petri Martyris. Bullar. rom. 1. §. 2. pag. 70. ibi, Firmà suorum Confessorum asseritione notificatur.* Idemque recensent Innocentius III. *Const. 2. pro Canonizatione S. Homoboni tom. 1. cit. §. 2. fin. pag. 36.* & Pius II. *Const. 6. pro Canonizatione S. Catharina Senensis super veritate Stigmatum. eodem tom. 1. §. 2. pag. 319.* & refertur in quinta Lectione Officii ejusdem Sanctæ ad diem 30. April. ibi, *Quòd ita contigisse cum DEI Famula, cum Confessario suo Raymundo retulisset &c. & plenè firmant Castellin. Append. Gen. de iisdem Stigmatibus post tract. de Inquis. Mirac. in Caus. Mart. pag. 212. & 252. & Card. Laur. D. 20. de Miracul. art. 25. & c. 6. n. 163. §. vel tandem. pag. 648.*

Accedit, quia idem primum Extremum probatur etiam à Chirurgo, tertio Teste, qui paulò ante Sanationem manu partem affectam, quamvis supra vestes, exploravit, & ex tactu, reliquisque circumstantiis collegit, morbum hunc esse Rheumatismum,

Cæterum, perpensis Symptomatis, quæ ipsa Sanata morbi sui tempore passà est, non videtur dubitandum, affectum hunc fuisse Ischiadem; dolor enim, occupans Ischii regionem, & ulque ad calcaneum diffusus, non nisi talem morbum comitari solet,

ut observat River. *pag. 416.* Ettmüller. *pag. 404.*

Hinc non obest, quòd Medicus statum morbi solum audiverit sibi relatum ab ipsa Clerica, & Chirurgus partem affectam nondam tempore curæ nunquam viderit, vel tetigerit; nam dolor, & difficultas incedendi, in quo consistit Essentia Ischiadis, non innotescit per tactum, sed ista per difficultatem motus progressivi, ille per lamentationes assiduas, de quibus Testibus examinatis universis constabat, se satis prodit. Tumor autem est quiddam superadditum Ischiadi, & sæpe abest, ut ex descriptione Fernelii allegatà patet. Unde licet tumor à Chirurgo non fuerit exactè inspectus, nihil inficit

insicit existentiam Ischiadis, jam plenè, & sufficienter descriptæ per Relationem Patientis, læque prodenis per laciones conspicuas actionum, quas hæc affectio lædere assolet; aliàs enim nunquam deberent admitti ulla Miracula, patrata circa affectiones, quæ tactu comprehendi non possunt.

298. Ad 2. Quòd diversum fuerit de morbi statu in hoc Casu Medici, & Chirurgi Judicium, mirum esse non debet; nam,

ut River, *prax. Med. l. 16. c. 3. princ. pag. 417.* notat,

inter Rheumatismum, & reliquos Arthriticos affectus tanta est Analogia, ut vulgus Medicorum, qui Rheumatismi naturam ignorant, cum Arthritidem universalem nominare soleant. Ex signis, ab Infirma declaratis, nempe ex loco affecto, & dolore illo intensissimo Medicus collegit, morbum esse Ischiadem,

juxta Durat. in *Coac. Hippocr. de frigor. lumbor. c. 25. num. 30. §. vel Ischias.*

ibi, Dolorificum malum Ischias, idemque doloris savissimi, cruciatu acerbissimum, quod occupat ligamentum femoris, os sacrum, & glutinum, sive nates. Pro Rheumatismo ab Arthritide proveniente, pronuntiare potuit Chirurgus, attento tumore, qui propius ex Arthritide, quam ex Ischiade provenire solet,

teste Sennert. *Med. pract. tom. 5. de Arthrid. c. 6. de dolor. Ischiad.*

ibi, Tandem etiam Arthritis vera plerumque, & serè semper sibi tumorem adsciscit; at verò dolores hi (puta Ischiadis) nullum tumorem habent conjunctum non solum, ubi sunt in loco profundo, sed etiam, ubi sunt in loco non profundo.

299. Caterùm, sive Rheumatismus, sive Ischias præsens morbus sit nuncupandus, ad sanationem hanc inter Miracula referendam sufficit, quòd perpensis signis, & circumstantiis, in hoc Casu constet, adviisse vitium difficillimæ curationis, seu tale, quod non poterat de facili per naturam, aut ope Medicamentorum expelli, & sanatio ejusdem expectari. Ipse Chirurgus, cum loquebatur cum Sanata, & ejus Sorore, Ischiadis vocabulo usus fuit: quod satis tollit objectionem inter assertionem istius, & Medici contrarietatem; nam indicationes eadem procedunt quodammodo in utroque morbo, & ut Sennert. *c. 6. cit.* ait, etiam *Dolor Ischiaticus Arthritidis species est.* Usus autem est uterque Ischiadis vocabulo, ut intelligerentur, secundum communem usum loquendi: atque ita accipi debent verba testium

*c. ex litteris, ibique Abb. & cæteri Canonista de Sponsal. Tyndar. vol. diversor. de testib. pag. 354. n. 17. Rota decis. 354.*

*R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.*

*n. 69. p. 2. & decis. 233. num. 9. & 11. p. 13. recent.*

Ideoque, sive Rheumatismus, sive Ischias revera fuerit, si per purgationem non cessavit, ad ustionem recurrendum erat, ut docet Durat. *l. cit.* In Casu autem præsentis purgationes non profecerunt, sed magis dolos excreverat, & tumor augebatur. Consequenter, cum absque ustione, quod unicum superfuit Remedium, Infirma consanuerit, & quidem statim post invocationem Beati, absque dubio habetur Miraculi evidèntia. Quod additur de contradictione circa remedium adhibendum, ex depositione Sanatæ constat, Chirurgum non prohibuisse absolute ustionem, sed tantum dixisse, se prius probare velle alia remedia mitiora.

Ad 3. Quòd Soror Sanatæ primâ sanationis die partem affectam non viderit, hoc militat tantum respectu tumoris Sanatæ, in quo non fundatur essentia Miraculi, vel morbi, licet Miraculum augeat. Sufficit, quòd domum reversa, Sororem ipsâ sanationis die viderit non amplius querulam, bene incedentem per domum, & sequenti nocte optimè dormientem, quæ sunt indicia pacati doloris, in quo consistit principalis, & unica sanationis conditio. Hinc attestatio istius magnum robur subitæ sanationis probationi adjungit. Non autem illico ostendit Sanata femur Sorori partim ex humilitate, quâ se putavit indignam, ut Miraculum in ea fieret, partim ex prudentia, quia nondum scivit, an sanitas sit continuatura: aliis verò, nisi Chirurgo post sanationem, femur non ostendit ex modestia virginali. Ponderus probationis augeatur, & certius redditur testimonium Sanatæ, & Sororis ejusdem ex depositionibus Testium 4. 6. & 8. qui eodem tempore, & die Infirram conspexerunt perfecte incolumem.

*Contilor. c. 18. n. 20. & seqq.*

Unde dum in hac Objectione dicitur, eos Sanatam vidisse post duos, vel aliquot dies, intelligendi sunt de continuatione Sanationis.

Et esto, depositio Sororis Sanatæ, & reliquorum testium solummodo faciat adminiculum, hoc posito, versamur in iis circumstantiis, ut secundum Miraculi Extremum aliter probari non possit, nisi ex dicto Sanatæ, quod sufficere tali Casu debet, præsertim cum accedat testimonium Confessarii, cui rem in Confessione illa bi-duo post sanationem aperuit, quique eam ex integro sanam conspexit:

pro quo notanda est Doctrina Contilor. *c. 18. cit. num. 19.*

ubi ait, *credendum testi dicenti, in sua persona patratum esse Miraculum, quando aliter*

*N n n n a*

*probat.*

*probari non potest, cum de facto proprio deponat: quod saltem verum est, ubi de primo Extremo constat.*

302. Ad 4. Ischiadis curationem quidem spondet Hippocrates 2. *prorhet.* sed in Juvene solummodo, ibi, *Qui verò juvenis, & circa articulos nondum callos habet concretos, & accuratè vivit, & laboris amans est, hic sanè, Medicum intelligentem nactus, sanari potest;* sed quia Patiens nostra quinquagenaria fuit, & à morbo per duos circiter annos obfessa, hoc salubri Hippocratis Axiomate frui minime potuisse credendum est. Deinde, esto, curari etiam in hac Ægrotâ potuisset, non adè certum est, quòd Cataplasma hoc idoneum, & proportionatum pro hoc dolore compescendo, & morbo curando remedium fuerit; cum enim confectum fuerit ex calce viva, quæ à DD. reponitur inter Medicamenta exustiva, potiùs nocumentum, quàm utilitatem Patienti afferre debuisset; nam, ut cum pluribus aliis

Dominicus Leonus *Art. medend. morb. l. 6. sect. 3. c. 20. f. cura.*

monet, ad coxendicum morbum opus est lenitivis, quæ neque omnino refrigerent, nec fortiter calefaciant: patetque hoc ex facto; nam post applicatum Emplastrum tumor crevit, & dolores facti sunt acerbissimi.

303. Ulterius ex Medici, & Chirurgi assertionibus habemus, sanationem breviori temporis intervallo contigisse, quàm exigeret Cataplasma: sanatio enim in ipso instanti contigit, quo Cleria imploravit opem Beati; Cataplasma autem, etsi poneretur, fuisse idoneum pro hoc morbo tollendo remedium, non nisi post diuturnum tempus, pro quali non potest haberi septendium respectu morbi biennalis, id efficere potuisset. Et esto etiam, quòd suffecisset septendium, hoc temporis intervallum metiri non debemus à die, quo fuit applicatum Cataplasma; quia toto illo septendio nulum Cleria levamen sensit, imò dolor, & tumor est auctus cum aliis gravioribus Symptomatis. Hinc ipse Medicus, & Chirurgus sanationem hanc Miraculosam pronuntiarunt: cujus suæ assertionis rationem convincentem dant, nempe quòd corpus Sanatæ à pluribus annis ob defectum Menstruorum malis humoribus oppletum erat, qui proinde causa, sexcentorum morborum assidue productiva, erant, ut adè subita sanatio post invocatam opem Beati, ejusque continuatio, cum plena, & subitanea restitutione virium, coloris, & appetitûs, minime attribui possit virtuti Cataplasmatîs, quod ad internam morborum originem, retentionem videlicet Menstruorum, tollendam conferre nil poterat.

304. Neque dici potest, quòd Cataplasma primò dissolvere potuerit humores compactos,

ex qua dissolutione crevit dolor, & tumor; dissoluti autem humores deinde vel ab Emplastro, vel à natura regulari faciliùs potuerint consumi; nam utrumque repugnabat. Et à natura quidem humores isti consumi non poterant ob istorum copiam, & debilitatem Infirmæ provecioris jam ætatis, & ob diuturnitatem morbi viribus ad id necessariis jam dejectæ. Nec à Cataplasmate; nam hoc vigentibus intensissimis doloribus, & tumoris magnitudine fuit sublatum, adè, ut in eo statu dissolutionis, quam ponit hæc Replica, humores illi, absque præfidiis consumptivis, fuerint relictî.

Ad 5. Ex depositione testium constat, præcedentia purgationis Remedia nihil profuisse, sed, his non obstantibus, continuatus effectus adscribi potest istis Remediis, præsertim cum ista eo ipso momento, quo Invocatio facta est, subsecuta sit, statimque vires, color, & appetitus redierit. Si aliquid purgatio effecisset, ad summum potuisset impedire affluxum novorum humorum (quod ipsum tamen non effecit, cum dolores, & tumor, ut sæpius dictum est, post eam purgationem creverint) non autem dici potest, quòd simul potuerit humores impactos in articulo evacuarè.

Quare, etiam si poneretur, quòd, pro ut Objectio præsens ponit, Emplastrum, post hostem jam debilitatum, potuerit superare morbum, & humores residuos temperare, id tamen in Casu præsentî non valuit, tum quia tum, cum vincere morbum debuit, non ampliùs applicatum mansit; tum quia, etiam si applicatum mansisset, Hypothesis posita in diminutione humorum vitiosorum juxta dicta *Num. prac.* cadit. Debuit ergo alia fuisse causa, quæ humores evacuando, & residuos temperando malitiam morbi vicit, eaque vel naturalis, vel supernaturalis. Non naturalis; quia hæc consistere debuisset vel in Crisi, quæ dictos humores expelleret, vel in corroboratione naturæ, per præcedentes purgationes factâ. Crisim, ut concorditer testes asserunt, nullam Infirma habuit: Corroborationem naturæ excludit incrementum Symptomatum, quæ Infirma usque ad momentum sanationis passa est; nam per decrementum duntaxat, non per incrementum Symptomatum corroboratio naturæ se manifestat.

Ad 6. Imprimis levamen illud breve admodum, & quasi momentaneum fuit; nam paulò post recruduit dolor, inductusque est gravissimus tumor, & morbus in pejus ruit. Potuitque levamen hoc solummodo fuisse imaginarium: quod sæpe contingit in applicatione novorum Medicamentorum, quæ semper applauduntur, & cum fiducia applicantur, præsertim in mulieribus, in quibus desiderium sanitatis phantasiâ

tasiam per aliquod tempus elidit, donec à realitate perniciosi, & præsertim dolorosi effectus commota imaginatio ad mentem sanio-riorem redeat. Si verum aliquod le-va-men fuit, hoc constitit solummodo in re-frigeratione partis exterioris corporis, cui applicantur Emplastra: quod naturale istis est facere statim, ac applicantur; interim tamen per hunc effectum morbus non tolli-tur, nec diminuitur, quippe cum non illi-co Ingredientia vim suam exerant, ut expe-rientia testatur.

308. Quod febrî caruerit Infirma, & per do-mum ambulare, aliæque peragere potuerit, non potest adscribi Medicamentis applica-tis; nam etiam ante istorum applicationem nullam habuit febrim, nec cogebatur in le-cto se continere. Hinc ex carentia febris, & exercitio ambulandi, aliarumque actio-num non rectè inferitur corroboratio natu-ræ, per Medicinas procurata, etiam ex eo capite; quia corroboratio est actio positi-va Medicamenti iuvantis, & addentis na-turæ robor, non verò tantummodo priva-tio nocuenti. Imò, quod febris non su-pervenerit, clariorem reddidit Beati opem; quia si illa supervenisset, existimari potuis-set, ex ea fuisse solutos humores.

309. Denique tempus illud, quo Natalis, ejusque filius præsentis adstiterunt, breve admodum fuit, ut adeò Virgo, præsertim quia piissima erat, & ideo miserias suas non cuicumque propalare voluit, velo pa-tientia hoc tempore cruciatus suos facilitis potuerit occultare. Deinde duo hi testes cruciatus Clericæ non positivè excludunt; de istis autem deponit Sanata, & ejus Soror, ut adeò his potiùs, quàm illis deferendum sit, etiamsi dictum dolorem positivè neg-ássent, ex certo Juris Axiomate, juxta quod plus creditur duobus testibus affirma-tibus, quàm mille negantibus.

Gloss. in l. diem proferre. V. consense-runt. ff. de recept. arbitr. Farin. q. 65. num. 201. Rota decis. 47. num. 4. cor-am Bich. decis. 218. num. 6. & 7. p. 17. recent.

Ad 7. Ex depositione Sanatæ, & Tes-tis 7. & 8. constat, Clericam non Festo SS. Trinitatis, sed Dominicâ subsequente perrexisse ad Ecclesiam S. Sabinæ, adeò, ut per errorem vel Sororis, vel Notarii scri-ptum præsumatur, accessum istum factum esse dicto Festo. Accedit, quia cum eo tempore Miraculum jam fuerit completum, discordia hæc, tanquam de circumstantiâ extraneâ, eidem Miraculo fidem denegare nequeat.

310. Ex his jam videtur adesse sufficiens pro-Argumenta batio omnium requisitorum ad verum Mi- pro Mira- raculum. Nam 1. Qualitatem morbi, culo. cum ejusdem causâ, & effectibus, ac cir-

cumstantiis probant octo testes, & ex his primus, ipsa Sanata de facto proprio, & judicio Medici, ac Chirurgi. 2. Soror Sanatæ de visu, & pariter ex judicio Me-dici, ac Chirurgi. 3. Medicus de facto proprio, & auditu Sanatæ respectivè, ubi ait, aut ignem, aut Miraculum necessarium fuisse ad morbum istum pellendum. 4. Con-fessarius de auditu Sanatæ. 5. Quatuor alii testes, omnes de visu, & respectivè de auditu Sanatæ, Sororis ejusdem, & Me-dici, Et quidem

2. Causa, & origo Morbi fuit defectus Menstruorum per integrum vitæ tempus: quantum autem morborum, malorumque feminarium sit hic defectus, patet

ex River. prax. Medic. l. 15. c. 6. de hyster. passion. princ.

ubi, Dum sanguis, inquit, Menstruus præ-ter naturam retinetur in Muliere, putrescit, & corrumpitur, nec non malignam, & vene-natam qualitatem acquirit, unde vapores ma-ligni elevantur, & ad varias corporis partes deferuntur. Accedit judicium Democriti in Epist. ad Hippocr. ex quo idem River. l. cit. subdit, sexcentarum ærumnarum, atque cala-mitatum originem esse uterum: & deinde fu-sè refert diros effectus passionis Hystericæ; nam morbos incurabiles gignit, qualis fuit Clericæ nostræ vel Ischiades, ut illum comp-ellat Medicus, vel Rhevmatismus, ut creditur Chirurgus, quem morbum insana-bilem reputavit Medicus, nisi pars læsa ureretur.

3. Ischiadem autem hunc morbum fuisse, colligitur ex descriptione hujus morbi

apud River. lib. 16. c. 2. princ.

ubi, Dolor Ischiaticus, ait, ab aliis Arthri-ticis speciebus in eo præcipuè differt, quod in his dolor solos articulos occupet, in illo verò non in sola est coxendice, sed etiam summan-natem, & lumbos, & os sacrum occupat, & in femur, tibiamque, & extremum pedem ex-porrigitur, quod fit propter nervos à lumbis, & osse sacro emergentes, qui ad coxendicem feruntur, & inde in femur, tibiam, & pedes disseminantur. Consonat

Fernelius l. 6. de part. morb. & Symptom. c. 18.

ibi, Ischias sedem habet non in eo articulo, quo femoris caput in coxendicem inseritur, sed altius in summan-natem, qua nervi, à lum-bis, & ab osse sacro emergentes, feruntur in crura. Dolor atrox non in sola est coxendice, sed in femur quoque, & in suras, & in extremum pedem exporrigitur, quocunque ni-mirum ab affecta coxendice deductus nervus per-tingit: raro tumor est conspicuus, rarius cal-or, aut rubor, quod ejus loci summa cutis ve-nis conspersa minimè sit. Quæ descriptiones morbo Clericæ ad amissim conveniunt. Ne-

N n n n n 3

311.

312.

que

que obest, quòd in hoc notatus sit ingens tumor, qui juxta Descriptionem Fernellii ordinariè in Ischiade non reperitur, saltem notabilis; nam & Cleria primò vix notabilem in parte affecta tumorem habuit, magnus autem ille tumor, qui post applicatum Cataplasma se prodidit, potius hujus, quàm Ischiadis effectus fuisse censi debet.

313.

4. Potrò, quàm contumax, & difficilis curationis morbus sit Ischias, præsertim si inveteratus sit, demonstrat

Sennert. tom. 5. c. 6. de dolor. Ischiad. pag. 173. ff. est autem; nam, ut Hippocr. Aph. 59. sect. 6. dicit, *Quibus diuturno coxendico dolore infestatis coxa excidit, rursumque incidit, iis mures superveniunt: & clarilus Aphor. 60. sect. 6. Quibus, inquit, diuturno coxendico dolore infestatis coxa excidit, iis crus contrahescit, & claudicant, nisi urantur.* Consentit Ettmüller. de Arthritid. pag. 405. ibi, *Ischiadicus dolor gravissimus est, nihilominus tamen in principio facilis, quàm ceteri (scilicet Podagræ, & Chiragræ) curari solet, sicut in progressu aque rebellis esse solet.* Item Bernard. Gordon. Lib. Medic. partic. 7. c. 19. pag. 648. ubi, *Arthritica, inquit, confirmata non recipit curationem, potissimum quando est ex humoribus diversis.*

In nostro Casu Ischias fuit confirmata (nam per biennium duravit) insuper orta est ex diversis humoribus: quod constat ex malo habitu, & excrementorum copia, quibus nostra Patiens scatebat, cum assidue variis affectionibus affligeretur. Unde si pro insanabili habetur Ischias inveterata, etiam si præstantissima remedia adhibeantur, multò magis pro tali haberi debet, si nec sufficientia, nec proportionata applicata sunt, nec ulla sensibilis evacuatio intercessit. Atqui

314.

5. In præsentem 1. Non fuerunt applicata sufficientia, & proportionata remedia; nam fuit omissa sanguinis missio, quæ teste Guil. Ballonio de Arthritid. pag. 34.

est inter præcipua Ischiadis remedia: & si fuisset etiam adhibita sanguinis missio, multò magis confirmasset insanabilitatem morbi, cum iste nec minima ex parte cesserit operationi, quæ tam multis, ut l. cit. ait Ballonius, opitulatur. Remedia verò alia, quibus usus Chirurgus est, fuerunt inutilia, ut testes concorditer asserunt, & ipse eventus docuit. 2. Nulla intervenit Crisis ex febre, sudore, vel evacuatione alia; nullam enim ex his passà est Cleria, ut eum ipsa testatur Medicus, & Chirurgus cum tribus aliis testibus. Imò Crisis in Casu præsentem locum habere non potuit; etsi enim

in Morbis Chronicis, qualis hic Cleriæ morbus fuit, Galenus

L. 2. de diebus decretor. c. 5.

Crises interdum contingere posse concedat, in iis tamen hoc solum concedit, quibus tota in fluidis tabes: in iis autem, in quibus partes nervæ, ac solidæ fuerint affectæ, repentinæ hujusmodi mutationes fieri posse aperte negat

Libr. 2. de Crisib. c. 11.

Unde non obest, quòd materia morbifica, in Ischio congesta, respectu totius in exigua quantitate sit, & vasa illinc concurrentia satis ampla, ut proinde tota simul absorberi, vel ad urinæ ductus, aut cutis poros, vel per levem sudorem deduci potuerit; quia si talis evacuatio fuisset facta, ex effectu se prodidisset. Imò 3. Cum perseveraverit Menstruorum suppressio, signum est, quòd peristerint humores morbifici in corpore ægotantis, qui omnium ærumnarum Cleriæ causa fuerunt: ex quo sequitur, causâ persistente, impossibile naturaliter fuisse tolli effectum necessariò consequentem ex tali causa. Interim, his omnibus non obstantibus,

315.

6. Consecuta est subita Sanatio, sublatus dolor, & tumor omnis, recuperata illico vires integræ, color, & appetitus, ut primùm, accepto interiori impulsu amovendi Emplastrum, B. Turibii opem Infirma imploravit, prout testatur ipsa Sanata, & testes reliqui partim de visu, partim de auditu Sanatæ, & Sororis ejusdem. Fuitque hæc sanitas sic recuperata, juxta eosdem testes, omnino perfecta, & deinceps continuata: quibus consideratis, testes omnes, & cum his uterque Medicus in Peritum electus eandem sanationem pro Miraculosa agnoverunt. Miraculum auget, quia robustissimus etiam adolescens, nedum languida Virgo quinquaginta annorum, post subsecutam etiam perfectam sanitatem, aliqua virium per multum temporis refectione indiget; Cleriæ autem, nullo interjecto temporis intervallo, crus non solum consolidatum, sed præterea etiam ipsæ vires in summa perfectione sunt restitutæ, ut unanimiter testes asseverant. Tribui igitur Sanatio ista nec medicæ arti, nec beneficio naturæ potest, sed necessariò fatendum est, eam adscribendam esse Virtuti Divinæ, per Miraculum operanti, quippe sine quo, persistente Menstruorum defectu, non potuisset subsequi perfecta, & durabilis sanitas; nam, ut Hippocrates lib. de Genitur. inquit, *Non suentibus Menstruis, Morbosa femina sunt.* Crescit præterea magnitudo Miraculi, dum tumor ille magnus, qui ultimis diebus apparuit, momento, & sine noxa quidem, evanuit; nam si ad interiora, prout naturaliter, nulla facta evacuatione, fieri debebat, recurrisset, gravem aliquam affectionem debuisset inducere.

7. Non

316. Non desunt Exempla huic similia ; nam similes morbi Sanationes, licet tot, ac tantis circumstantiis destitutas, miraculosas sæpius judicârunt Auditores Rotæ, nominatim in Relatione Canonizationis S. Cajetani Thienæi *tit. de Mirac. Mirac. 4.* S. Francisci Borgiæ *p. 3. art. 2. Miracul. 5.* S. Franciscæ Romanæ *art. 6. Mirac. 6. post obitum.* Venerabilis Servi DEI Hieronymi Æmiliani *n. 84. &c.*

Neque obest, quod in specie Morbi Medicus curæ cum Chirurgo non satis concordet, dum hic eum pro Rheumatismo, ille pro Ischiade illum agnoscit; nam qualiscunque hic morbus fuerit, ejus origo, qualitas, pervicacia contra adhibita Remedia, item subita, perfectaque ad Invocationem Beati Sanatio, absque ullo morbi relicto vestigio, cum recuperatione virium, coloris, & appetitûs, ac valetudine deinceps constanter continuata, Miraculum luce meridianâ clariùs videntur ostendere.

317. Censura de Miraculo 12. Judico, de Relevantiâ hujus Miraculi, prout illud refertur, non facile dubium fieri posse; nam 1. Ut ex hujus Morbi, quem in præsentî Casu passa est Cleria, descriptione, ex Medicis *Num. 312.* data, constat, ille fuit Ischias, & quidem biennii duratione inveterata: adeoque 2. Juxta *Num. 313.* si non incurabilis, saltem difficillimæ curationis. 3. Contra hunc, ut dictum est *Num. 314.* non fuerunt adhibita sufficientia, & proportionata Remedia: quod satis ostendit eventus, dum adversus ea, quæ applicata sunt, fuit contumax. Idem morbus 4. Ut ex eodem *Num. 314.* habetur, sanatus est, nullâ interveniente Crisi, vel evacuatione: imò defectus Menstruorum, qui Morbi istius causa præcipua extitit, semper perstitit; adeoque debuisse persistere ipse morbus. 5. Dum ergo sublatus ille est, non potest istud adscribi vel arti, vel naturæ, præsertim, quia 6. Sublatus est in instanti cum perfecta restitutione virium, & nullo sui relicto vestigio, juxta *Num. 315.* Insuper 7. Aliàs sæpius, ut patet ex *Num. 316.* similes curationes, quamvis tot, ac tantis circumstantiis non vestitæ, pro Miraculosis sunt approbatæ.

318. Difficultatem autem facit 1. Quod pars affecta tempore Morbi neque à Medico, neque à Chirurgo fuerit oculariter inspecta. Ex quo 2. Orta est differentia inter Judicium Medici, & inter judicium Chirurgi: quod ipsum 3. Ostendit, non satis constituisse ipsis de Statu morbi, consequenter de primo Miraculi Extremo. Insuper 4. Probatio secundi Extremi substantialiter videtur inniti soli assertioni Cleriæ, quippe cum eo tempore, quo sa-

natio contigit, nullus alius testis præsens fuerit. 5. Ipsa etiam Sanatio non videtur superasse vires Remediorum adhibitorum; nam, cum materia, Ischiadem efficiens, exigua sit, facillimè evacuari potest per repetitam purgationem. Et verb 6. Quod profuerit etiam Emplastrum, consilio Chirurgi applicatum, videtur constare ex eo, quia statim post applicationem illius Infirma lenimen sensit. His Argumentis à *Num. 296.* responsum est potenter quidem, ita tamen, ut remaneat qualescunque dubium, atque adeo præsens sanatio à S. Congregatione difficulter pro Miraculosa agnoscenda sit, quippe ad quod requiruntur probationes probatissimæ, & tales, quæ in Causis criminalibus ad Sententiam condemnationis ferendam sufficerent, præsertim cum inter Miracula duodecim hic recensita adsint tria alia, nempe primum, septimum, & octavum, quæ omne punctum ferre censentur. Hinc necesse non erit plura alia in eadem S. Congregatione discutere.

### Repetuntur Censuræ de singulis Miraculis.

DE primo Miraculo censeo, Sanationem hujus Maniaci à S. Congregatione merito inter Miracula tertii generis approbari posse. Nam 1. Morbus in hoc casu fuit Amentia perfecta cum furore, ut constat ex ejus effectibus, octo Testium de visu depositione Judiciali confirmatis. 2. Mania perfecta, præsertim, quando, ut in præsentî, diuturnitate temporis confirmata est, naturâ suâ aut incurabilis, aut saltem difficillima curatu ex communi doctrina Medicorum est. 3. Talem fuisse præsentem morbum ostendit experientia; nam ut unanimiter Testes, & inter hos Medicus curæ deponunt, omnibus Medicamentis sollicitè adhibitis pertinaciter restitit, ita, ut à Medico Infirmitas proclamatus fuerit pro incurabili. Hinc etiam 4. Per tres ultimos Menses nullum amplius adhibitum fuit Remedium, ut iterum uno ore deponunt Testes, ex quorum etiam depositione 5. Habetur, quod Infirmitas in hoc misero statu per octo menses usque ad diem, & instans Sanationis perseveraverit sine ulla spe restitutionis: adeoque constat de primo Extremo hujus Miraculi.

In hoc misero Statu filii afflicta Mater confugit ad Intercessionem B. Turibii, pro cujus Beatificatione à S. Sede decretâ, octidua Solennitas tunc imminabat, eique ipsa, Sorores, & tota domus, ut unus ex Fratribus attestatur, commendavit Infirmitatem. 2. Insuper eidem applicavit particulam Ossis ex pede Beati, quod probat Soror Sanati Testis de visu, & confirmat Mater,

319. Censura de Miraculo 1.

Mater, quæ quamvis in Processu Apostolico, utpote præmortua, audiri non potuit, tamen adminiculum saltem non leve præbet, præsertim ad probationem Invocationis complendam, ubi de rigore unicus etiam Testis sufficeret: quibus Testibus 3. Accedunt reliqui domestici, qui licet actuali applicationi Reliquiæ non intuerint, eam tamen postea collo Infirmi jam sanati appensam conspexerunt: ut proinde de Invocatione Beati facta nequaquam sit dubitandum.

Similiter etiam liquet de secundo Extremo, nempe de subita, instantanea, & perfecta recuperatione Judicii statim post applicatam Reliquiam, ut habetur ex Testibus undecim, quorum unus est ipse Sanatus, novem de visu, & alius de auditu videntium domesticorum. Neque obest, quod non omnes hi Testes ipsi actui Sanationis interfuerint, consequenter de instanti, quo reditus sibi ipsi Infirmus est, testari non possint; nam Instantaneitas pro ratione morbi, & circumstantiarum suscipit magis, & minus, consequenter sufficit, si Testes deponant, quod eadem die sibi plenè restitutum Infirmum viderint, de quo etiam nostri Testes deponunt.

Denique Sanatio hæc naturaliter fieri non potuit. Nam 1. Per tres Menses ultimos nullum Infirmo amplius fuit applicatum Remedium. 2. Nulla intervenit Crisis, vel aliud naturæ, aut artis auxilium. 3. Contingerè Sanitas non potuit ex cœli temperie, quippe cum ætas tum Limæ fuerit, cujus calores atrabiliosos humores magis accendunt, furorémque Maniacorum augere solent. 4. Nulla in Sanato esse potest suspicio fictionis, utpote quam excludunt tum egregii ipsius Mores, tum effectus insanix ultra octo menses protractæ.

Supereft ergo, ut cum domesticis Sanati, Medico curæ, & reliquis Medicis in Peritos electis pronuntietur pro Miraculo: cujus magnitudinem auget perfectio ipsius Sanationis; nam ab Anno 1680. quo illa contigit, non solum nihil periculi amplius Sanatus habuit, sed insuper Studia sua Theologica profecutus est, & Lauream ex hac adeptus, sæpius pro Beneficiis Ecclesiasticis cum insigni laude concurrat, pro concione ad populum cum singulari commendatione dixit, & omnia fecit, quæ perfectissimam restitutionem dilucidè comprobant.

320.  
De Miraculo 7.

Similiter de Miraculo septimo Censeo, Sanationem præsentis Ægroti merito posse, & debere inter Miraculosas connumerari, cum de hujus relevantia, extremitis, & Invocatione Beati per novem Testes, plerisque de visu proprio abundè constet. Nam 1. Morbus fuit Paralyfis, sive vera, sive spuria, inveterata, orta ex morbo Gallico,

conjuncta cum pluribus aliis infirmitatibus, privans omni pedum, & potissimo usu manuum; ita, ut cibum sumere ab aliena manu necesse Infirmus habuerit: & in hoc statu idem Infirmus continuavit per tres omnino annos, nihil proficientibus Medicamentis sollicitè adhibitis continuavit: unde tanquam desperatus à Medicis relictus fuit, & in Hospitale Incurabilem denique deportatus.

2. Cum in Hospitali isto per tres Menses decubisset, concepta ad Beatum fiducia, ad Capellam, ejus honoribus dedicatam, intercessionem ejusdem imploraturus, adrepsit, idque secundam, & tertiam vice repetit: de quo deponunt quatuor Testes, in Processu Apostolico repetiti, omnes de auditu tum à Sanato, tum ab aliis videntibus: quod ad probationem Invocationis sufficere debet, quippe ad quam probandam unicus etiam Testis recipitur, præsertim si pro adminiculo addantur duo alii Testes de visu, cum ipso Sanato, in Processu, Autoritate Ordinaria instituto, auditu.

3. Eo ipso momento, quo primam visitationem Capellæ instituit Infirmus, nulla ex parte remisit morbus: implorata intercessione Beati melius sese habuit, quæ melioratio augmentum accepit in secunda, in tertia demum ita sibi perfectè restitutus est, ut relictis in Sacello subalaribus fulcris, exiliens, & Miraculum ubique prædicans, liberis pedibus ex Valetudinario repetierit domum suam, in via latam, quæ sibi occurrerat, fossam, agilis, & expeditus transiit, & per quinque annos, quibus supervixit, perfectam Sanitate gavilus fuerit: quod omnes, qui viderunt, & audierunt, pro Miraculo habuerunt, proque hoc pronuntiare non dubitarunt tres Medici in Peritos electi in suis coram Sanctissimo factis Relationibus, eâ ducti ratione, quod Morbus hic fuerit inveteratus, nullum Remedium per tres omnino Menses applicatum, nullaque Crisis, vel aliud Naturæ beneficium, quo malignitas Morbi hujus potuisset expelli, supervenerit.

Pariter de Miraculo octavo Censeo, Sanationem istam inter Miraculosas merito reponi posse, & debere. Nam 1. Morbus principalis, in quem denique tumor, & inflammatio cruris in hoc Casu defuit, fuit Gangræna, ut ex iis, quæ unanimiter Testes referunt, facile colligitur, & ipse Chirurgus, cui in Arte sua credendum est, in hæsitanter asseruit. Imò

2. Caro in parte affecta jam erat sphacelata, & emortua, quod indicabat nigredo, frigiditas, & insensibilitas in eadem parte, quippe quæ Gangræna, jamjam in Sphacelum transmutata, apertissima juxta Medicos indicia sunt.

3. Gan-

321.  
De Miraculo 8.

3. Gangræna, & maxime Sphacelus, prout Medici docent, difficillimæ curationis est, & quidem sphacelus curari non potest, nisi vel per naturæ beneficium caro Sphacelata à carne sana se separet, vel per artem extremis ferri, & ignis remediis violenter rescindatur.

4. Hæc separatio decreta quidem à Chirurgo, tentata tamen non est; alia autem remedia non profuerunt: insuper tumor omnis sine ulla evacuatione evanuit; qui proinde naturali modo debuisset retrocessisse ad interiora, & sic Infirmæ morbum graviolem reddere, vel eam omnino interimere.

5. Evanuit autem tumor iste cum omni reliqua ægritudine subito; & absque noxa, imò cum perfecta, & durabili Sanitate, ad solam invocationem Beati; per totam noctem continuatam, ut patet ex dictis omnium quinque Testium, deponentium de visu, & auditu proprio: qui proinde

6. Cum cæteris omnibus, qui notitiam habuerunt, ipsisque quatuor Medicis, super factò isto à S. Congreg. consultis, pro Miraculosa Sanationem hanc proclamârunt, & quidem juxta exempla plurium similium Sanationum, quæ judicio Ecclesiæ inter Miraculosas connumeratæ sunt. Adeoque

7. Patet de duobus Extremis, & Invocatione Beati, ipsaque Relevantia præsentis Miraculi. De primo quidem Extremo ex depositione quinque oculatorum testium, qui omnes uno ore, & concorditer referunt circumstantias omnes morbi. Invocationem satis probat depositio ipsius Sanatæ, & Imago ejusdem Beati inventa die altero, prout circumligata erat cruri. Subitam Sanationem, adeoque secundum Extremum demonstrat brevitatis temporis, inter statum Morbi positum in summo gradu, & inter Sanationem perfectam medii. Relevantiam quoad reliqua ostendunt judicia Peritorum, pronuntiantium pro Miraculo.

322.  
De Miraculo 6.

Ex reliquis Miraculis approbationem mereri videtur sextum Sanati Erysipelatis gravissimi in capite, cum habeantur Exempla, minis fortibus circumstantiis munita, quæ tamen judicio Auditorum Rotæ, & S. Congregationis locum invenerunt. Adeoque adest Relevantia, & simul adest probatio sufficiens per quatuor testes Legales respectu utriusque Extremi, & Invocationis, per applicationem Imaginis B. Turibii facta.

323.  
De Miraculo 11.

Similis rationis videtur esse Miraculum undecimum Liberationis à periculoso Puerperio, quippe in quo adest videntur omnia, quæ ad probationem Partus Miraculosi aliàs requiruntur; nam 1. Frustrâ fuerunt applicata remedia, & mulier, doloribus partus diu vexata, sic viribus prostrata fuit, ut in momenta crederetur actura animam. 2. Tamen post Invocationem Beati præter spem juxta Peritorum judicium duplicem

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

prolem in lucem edidit, salvam utramque, & ipsa salva. 3. Nulla remanserunt partus Irregularis vestigia, vel Reliquiæ: quæ omnia ex depositione testium, & præsertim Obstetricis liquent, quorum judicium Manfredus, in Peritum electus, confirmat: ut adeo nihil adfit, ex quo Miraculum hoc reprobetur.

His accedere videtur Miraculum duodecimum Sanatæ diuturnæ Ischiadis; nam hæc 1. Fuit biennii duratione inveterata: & sic 2. Si non incurabilis, saltem difficillimæ curationis. 3. Contra eam non fuerunt applicata proportionata remedia: quod ipsum 4. Ostendit eventus, dum adversus ea, quæ applicata sunt, fuit contumax. 5. Idem morbus sanatus est, nullâ interveniente Crisi, vel evacuatione: imò defectus Menstruorum, qui Morbi istius causa præcipua erat, semper perstitit, adeoque debuisset persistere ipse morbus. 6. Dum ergo sublatus est, non potest istud adscribi vel arti, vel naturæ, præsertim quia 7. Sanatio fuit instantanea cum perfecta restitutione virium, & nullo sui relicto vestigio. Insuper 8. Aliàs sæpius similes Curationes, quamvis tot, ac tantis circumstantiis non vestitæ, pro Miraculosis sunt approbatæ.

324.  
De Miraculo 12.

Reliqua Miracula videntur esse dubia. Et 1. Quidem Miraculum secundum Liberationis à suffocatione ob aneam cochleam deglutitam; quia de Miraculoso modo, quo illa ex gutture Infantis extracta est, non constat, nisi ex Testimonio P. Hyacinthi, qui, licet sit testis omni exceptione major, & testetur de factò proprio, tamen, quia unicus, & in re, ad substantiam Miraculi apprimè pertinente, plenam probationem non facit, præsertim cum multa sint, quæ suadent, cochleam istam naturaliter potuisse ejici.

325.  
De Miraculo 2.

2. Similis rationis est Miraculum tertium Sanationis Morbi in oculis; quia 1. Dubitari potest de ipsa affectus hujus natura, cum desit Peritum Testimonium. 2. Infirmæ applicata prius sunt Medicamenta aptissima, & ipsa Phlebotomia. 3. Possè autem per remedia artis curari hujusmodi morbos, & re ipsa curatos fuisse plenæ sunt Authorum Historiæ.

326.  
De Miraculo 3.

3. Eidem Classi dubiorum Miraculorum accensendum videtur Miraculum quartum Sanationis duorum fratrum à febris maligna; quia aliqui testes hanc contigisse ajunt die 14. quæ cum Critica sit, dubium relinquatur, an non naturæ viribus subsecuta illa sit, præsertim cum accesserit sudor, qui ipse potuit habere rationem Crisis, per Medicamenta, biduo antè applicata, procuratæ.

327.  
De Miraculo 4.

4. Eodem reducitur Miraculum quintum Sanationis Hæmorrhagiæ; quia circa Instantaneitatem Sanationis aliqua est difficultas: imò dubitari, vel suspicari potest, an non ad cohibitionem fluxus sanguinis Remedia,

328.  
De Miraculo 5.

O o o o

per

per Artem Medicam applicata, influxerint: quæ rationes fortè Doctorem Manfredum, in Peritum electum, moverunt, ut in sua Relatione Miraculum istud in Dubium revocaret, imò propenderet potiùs in negativam.

329.  
De Mira-  
culo 9.

5. Idem iudicium videtur ferendum esse de Miraculo nono Sanationis pueruli ab Apoplexia; quia non satis constat, an Morbus istius pueruli revera Apoplexia, an verò Epilepsia fuerit. Posito autem, quòd Epilepsia fuerit, Miraculosa Sanatio ista cum fundamento dici non potest; quia Morbus iste pueris maxime familiaris est, & in his etiam sine Medicamentis curatur. Imò suspicio est, solùm fuisse Convulsionem aliquam fortem, quam Infantes sæpe etiam sine periculo vitæ pati solent.

330.  
De Mira-  
culo 10.

6. Non aliter sentiendum de Miraculo decimo Liberationis à strangulatione ex osse deglutito; quia pro verificatione secundi Extremi solùm affertur Testis unicus de visu, nempe ipse Sanatus; reliqui autem duo testes sunt tantùm de auditu, & quidem ex ipso Sanato: consequenter ex horum depositionibus probatio semiplena, habita per Sanatum, plena fieri non potest; quia in re tanti ponderis, uti est negotium Canonizationis, procedendum est non cum minori rigore, quàm in Causis Criminalibus, cum quibus propterea pari passu ambulat. In Causis Criminalibus autem, etsi mille testes, qui notitiam delicti ab uno teste de visu hauserunt, contra reum deponant, ad condemnationem istius procedi non potest. Ergo nec in Causis Canonizationis ad hanc alicui DEI Servo, vel Beatificato ab Ecclesia decernendam.

Judicium hoc Authoris Pontificio Oraculo probatum fuit, quod subjungimus.

## LIMANA

Canonizationis B. Turibii Alphonse Mogrobesei Archi-Episcopi Limani.

Cum in Congregatione Generali Sac. Rituum habita coram Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIII. die 18. Decemb. anni præteriti 1725. per Reverendissimum Dominum Cardinalem Sancti Clementis Pontentem proposita fuerit Causa Limana Beati Turibii Alphonse Mogrobesei Archi-Episcopi Limani super dubio: *An, & de quibus Miraculis constet post indultam à Sancta Sede Apostolica eidem Beato Venerationem in Casu, & ad effectum, de quo agitur;* singulique, tum Consultores, tum Domini Cardinales suffragia sua tulerint, Sanctitas sua, ut in re tam gravi Divinam de more opem imploraret, resolutionem eo die differre voluit. Verùm jam satis explorato Cœlesti Lumine, infra scripta die sequentia Miracula, tanquam in tertio genere approbavit, nimirum Primum *repentina Sanationis Josephi de Andrada à Mania octimestri;* Septimum *subita Sanationis Joannis de Salzedo ab inveterata Contractione extremorum, seu spuria Paralyti;* & Octavum *Sanationis instantanea Perronilla Arias Maldonado ab Ulcere Gangranoso.* Et ita &c. &c. die 11. Januarij 1726.

F. Card. Paulutius  
Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeschi Archiep.  
Apamensis Sac. Rit.  
Congreg. Secret.

FINIS TOMI PRIMI  
CONSILIORUM.

Omnia ad Majorem DEI, DEIPARÆQUE Virginis Gloriam  
& Honorem.

